Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/opusculaascetica0000cura

OPUSCULA ASCETICA

APPROBATIO

Opuscula ascetica sancti Vincentii Ferrerii necnon et B. Alberti Magni *De adhaerendo Deo* libellum, cura R. P. Matthaei Joseph Rousset de novo edita, prelo mandari opportunum judicavimus.

Datum Lugduni, die 11 Junii 1899.

Fr. M. Joseph Belon
Ord. Praedic.
Sacrae Theologiae Magister

Fr. Benedictus M. Clavère
Ord. Praedic.
Sacrae Theologiae Magister

Imprimatur

Fr. I. Ambrosius LABORÉ
Prior Prov. Lugd.

Imprimatur

Parisiis, die 1 Julii 1899

✝ Franciscus Card. RICHARD
Arch. Parisiensis

BIBLIOTHECA ASCETICA ANTIQUA

ORD. PRAEDICATORUM

OPUSCULA

ASCETICA

SANCTI VINCENTII FERRERII

ACCEDIT

DE ADHAERENDO DEO B. ALBERTI MAGNI

AUREUS LIBELLUS

EDITIO NOVA

Curante R P Matthaeo-Joseph Rousset

ORDINIS PRÆDICATORUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRAEFATIO

Inter varia sancti Vincentii Ferrerii opuscula, a R. P. Vincentio Justiniani Antist diligenter recensita, publicique juris Valentiae facta anno 1591, ea colligere seorsimque edere curavimus, quae ad rem asceticam pertinent. Quorum primum venit ille, qui De vita spirituali inscribitur, tractatus celeberrimus. Deinde ponitur Tractatus consolatorius in tentationibus circa fidem. Orationes, ultimo loco, referuntur, a Divo compositae aut usurpari solitae, et valde efficaces.

« Tractatus De vita spirituali, ait auctor praefatus, saepius una cum Beatorum Augustini et Bernardi Meditationibus latine, hispane autem semel ab insigni illo fidei censore et archiepiscopo Toletano Cardinali Francisco Ximenez Minorita, excusus fuit, licet, typographorum iner-

Ac; 5065

tia, innumeris mendis corruptus. Quare in eo emendando ita laboravimus, ut non tam restituisse, quam primi reperisse videamur ; si typographi tamen diligentia laborem nostrum, ut optamus, aequaverit. Nec operam quidem me in re inutili posuisse arbitror ; cum ex ejus lectione perplures diversorum ordinum monachi summum religionis apicem olim apprehenderint ; praesertim ex praedicatoria familia, in cujus gratiam potissimum editus est. Nam ex Actis Canonizationis hujus Divi, folio 175 et 272 ac 279 constat, tanta pietate Vincentii discipulos institutos fuisse, ut ex eis quinque omni virtute praestantes miraculis claruerint.

« Quamobrem Beatae memoriae Ludovicus Bertrandus (hodie in albo sanctorum adscriptus), qui nos Divi Vincentii virtutum aemulatores fore cupiebat, ad hujus libri lectionem nos saepe saepius hortabatur ; ac merito ille quidem. Innumeras enim Vincentii virtutes in aliorum libris legi, non paucas et publice, et privatim, in hanc usque diem scripsi ; sed nusquam ejus angelicam castitatem, vigilias, abstinentiam, corporis macerationem, arctissimam paupertatem, profundam humilitatem, inauditum sui, mundique contemptum, orationis assiduitatem, proximi dilectionem, martyrii ardens desiderium, maxime

autem seraphicum Dei amorem, tam ad vivum expressa reperi, quam in hoc tractatu, quem ipse non ex aliorum scriptis, sed ex suismet actionibus, in gratiam juvenum, ad perfectionem anhelantium, jam senex divino spiritu afflatus collegit. »

Idem sic prosequitur :

« Tractatus consolatorius in fidei tentationibus, servabatur antiquis caracteribus, partim in membrana, partim in papyro conscriptus, apud Carthusianos Scalae Dei, Tarraconensis dioecesis. Et quia vivente adhuc Vincentio, aut nondum in Divos relato, fuerat exaratus, hanc inscriptionem habebat : *Tractatus valde utilis, et consolatorius in tentationibus circa fidem, editus per Reverendum Magistrum Vincentium Ferrerium de Ordine Praedicatorum*. Potuitque, vel ab ipsomet Divo Vincentio in eodem coenobio (quod aliquando invisit), in gratiam alicujus religiosi, scrupulis vexati, relinqui ; vel ab ejus discipulo B. Petro Queralto, amico suo Fortio, carthusiano viro sanctissimo, et ejusdem coenobii ex professo monacho, tradi. Erant enim arctissima charitate conjuncti. »

Qualis fuerat ab ipso Vincentio Antist typis mandatus prior tractatus, sic a nobis hic editur ; sed nova ac longe meliori quam in antiquiori-

bus editionibus capitum divisione distributus, in quibus, multum ex hac parte desiderabatur.

Editis autem his sancti Vincentii opusculis, accedit B. Alberti Magni aureus De Perfectione vitae spiritualis, seu De adhaerendo Deo nudato intellectu et affectu libellus : ad lectoris utilitatem ampliorem, atque jucunditatem. Quod faxit Deus omnipotens et misericors. Amen.

SANCTI VINCENTII FERRERII

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE

Vita Spirituali

TRACTATUS

AD VETERA EXEMPLARIA EMENDATUS

ET NUNC ACCURATE RESTITUTUS

DE

Vita spirituali

TRACTATUS

PROOEMIUM

Tractatus qualis materia, methodus, et finis.

Ponam in hoc tractatu tantummodo documenta salubria ex dictis Doctorum extracta.

Non adducam aliquod Scripturae testimonium, vel alicuius Doctoris, ad probandum quae dicam, vel suadendum : tum quia brevitati intendo, tum quia tantummodo ad illum sermonem dirigo, qui magno affectu desiderat implere quaecumque secundum Deum facienda cognoverit. Et idcirco etiam dicta non probo, quia humilem intendo instruere; non, cum arrogantibus, contentionibus deservire.

Quicumque ergo voluerit proximorum ani-

mabus utilis esse, et ipsos verbis aedificare, primo debet in seipso habere quidquid alios est docturus : alioquin parum proficiet ; nam verbum eius erit inefficax, nisi prius homines in eo comperiant esse quod docet, et longe maiora.

PARS PRIMA

DE PRINCIPIIS VITAE SPIRITUALIS

Caput I

De contemptu omnium terrenorum, seu de paupertate.

1. De modo se habendi ad omnia terrena. 2. Illusio quam facilis. 3. Quaedam pro praxi regulae. 4. Notandum.

1. Oportet enim primitus, ut omnia terrena contemnat, et *velut stercora* [1] reputet; et solum districtissime ad necessitatem, de ipsis recipiat.

Quam necessitatem in pauco colligat, sufferendo etiam quaedam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait: Scio quod laudabile, non est, pauperem esse, sed pauper-

1. Phil. III, 8.

tatem amare, et paupertatis inopiam, propter Christum, gaudenter, et hilariter sustinere.

2. Proh dolor! multi de paupertatis solo nomine gloriantur. Sed quo pacto? Ita, ut eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis; sed paupertatis sodales, et amicos fugiunt pro suo posse: famem, sitim, contemptum, despectionem.

Non sic beatissimus Dominicus, pater noster, non sic ille, *qui cum esset dives, propter nos egenus factus est* [1], omnesque Apostoli, ut nosti, verbo et exemplo docuere.

3. Nihil ab aliquo petas, nisi sit necessitas; nec acquiescas cuique dare volenti, quibuscumque precibus, etiam sub praetextu ut indigentibus possis largiri: quia crede quod in hoc ipsi, et omnes qui audierint, finaliter multum aedificabuntur; ac per hoc ad contemptum mundi eos poteris facilius inducere, et ad subventionem aliorum indigentium inclinare.

Necessitatem autem tuam intelligo in parco victu, et vili vestitu et calceamento [2], quibus tunc praesentialiter indiges. Non voco autem necessitatem librorum, sub quorum velamine frequenter magna avaritia cooperitur. Satis enim

1 Cor. VIII, 9
2. I Tim. VI, 8.

libri communes, vel accommodati, inveniuntur in ordine.

4. Et quicumque effectus praedictorum voluerit clare cognoscere, studeat primo corde humili ipsa adimplere. Alioquin, si corde tumido contradicere voluerit, foris stabit. Nam a Christo, humilitatis magistro [1], humilibus manifestatur veritas, quae tumidis occultatur [2].

1. Matth. xi, 29.
2. Matth. xi, 25.

Caput II

De lingua refrenanda, et taciturnitate.

1. Lingua refrenanda. 2. Strenua silentii ad tempus disciplina. 3. Hujus strenui silentii disciplinae fructus.

1. Iacto ergo paupertatis stabili fundamento, a Christo fundatore in vertice montis posito, dicente : *Beati pauperes spiritu*, etc., ad restringendum linguam viriliter se accingat : ut lingua, quae utilia debet loqui, ab otiosis, et inutilibus compescatur omnino.

2. Et ut eam melius restringat, penitus non loquatur, nisi interrogatus : interrogatus dico de re necessaria, et utili ; nam inutilem quaestionem silentium debet solvere.

Si qui tamen, causa solatii, verba invectiva ipsi dicant, ne onerosus aliis videatur, quamdam vultus hilaritatem, et benignitatem poterit ostendere, sed nullo modo loqui : etiamsi illi, quicumque sint, de hoc videantur murmurare, vel contristari, aut verba detractionis proferre, ipsum accusando singularem, seu superstitiosum, et

gravem. Debet tamen pro ipsis attentius orare, ut Deus ab eorum cordibus omnem turbationem amoveat.

Poterit tamen aliquando loqui, si immineat aliqua necessitas, vel proximi caritas, vel obedientia provocatus : et tunc valde praemeditari, et cum paucitate verborum, voce humili, et submissa. Quod etiam debet facere, dum alicui habet respondere de aliquo.

3. Nam taceat ad tempus ad proximi aedificationem, ut tacendo discat qualiter suo tempore loqui valeat : rogando tamen Deum, ut per seipsum suppleat, cordibus proximorum interius inspirando ea, a quibus interim ipse se abstinet, linguam per silentium edomando.

Caput III

De puritate, et munditia cordis.

1. Munditiae cordis effectus. 2. Ad quae se extendat.

1. Extirpatis igitur per paupertatem voluntariam, et per silentium, multis sollicitudinibus, quae impediunt virtutum semina, ne, quantumcumque in agro cordis saepe et saepius seminata inspiratione divina, valeant pullulare : jam tibi superest cura virtutibus illis amplius insudare, quae te adducunt ad illam cordis munditiam, per quam interiores oculi, juxta Salvatoris eloquium [1], aperiantur in contemplatione divina, per quam habeas quietem et pacem, ut ille, *cujus in pace factus est locus ejus* [2], in te quoque habitare dignetur.

2. Nec intelligas, me loqui de munditia, quae hominem tantummodo purgat a luxuria cogitationis immundae : sed loquor potius de illa munditia, et cordis puritate, quae hominem elongat, quantum in hac vita possibile est, a quibuscumque cogitationibus inutilibus : ut jam non libeat homini aliquid cogitare, nisi de Deo, vel propter Deum.

1. Matth. v, 8.
2. Ps. lxxv, 3.

Caput IV

De mortificatione voluntatis propriae.

1. Propria voluntas in omnibus mortificanda. 2. In rebus temporalibus. 3. In spiritualibus. 4. In operibus sanctis, sive a creaturis impediantur. 5. Sive a quolibet eventu. 6. Pax et tranquillitas cordis in omnibus servanda.

1. Ad hanc autem obtinendam coelestem, ut ita dicam, imo divinam quodammodo, puritatem (nam *qui adhaeret Domino, unus spiritus est* [1] cum eo), ista necessaria sunt.

Primo omnium studeas, quantumcumque potes, abnegare teipsum, juxta Salvatoris praeceptum : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* [2].

Et hoc sic intellige : ut tuam voluntatem in omnibus mortifices, et conculces, et in omnibus contradicas, benigne amplectendo aliorum voluntatem, si tamen licita sit, et honesta.

2. Hoc tamen generaliter habeas pro quacumque re temporali, per quam corporalibus

1. I Cor. VI, 17.
2. Matth. XVI, 24.

necessitatibus deservitur, nunquam sequaris voluntatem propriam, ubi alium contradicere videas, quantumcumque exorbitaret a judicio rationis ; sufferens quodcumque incommodum pro interna mentis tranquillitate servanda, quae per tales repugnantias perturbatur, dum homo suo judicio adhaerendo, et suam voluntatem adimplendo, verbis, vel cogitationibus cum aliis altercatur.

3. Et non solum in temporalibus, sed etiam in his quae spiritualia sunt, vel ad spiritualia ordinata, alterius potius, quam tuam impleas voluntatem, dummodo sit bona, licet tua perfectior videatur : quia majus detrimentum acquires in diminutione humilitatis, et tranquilli tatis, et pacis, cum aliis contendendo, quam possit provenire profectus in quocumque alio virtutis exercitio, voluntate propria assecuta, alteri repugnando.

Et hoc intelligas quantum ad illos qui sunt tibi familiares, et in spirituali exercitio socii, et qui ad perfectionis virtutem anhelant ; non de illis, qui dicunt malum bonum, et bonum malum [1], et qui student aliorum dicta, et facta carpere, et judicare, plus quam sua prava corrigere. Non enim dico, quod debes talium judicio

1. Isai. v, 20.

adhaerere in his quae spiritualia sunt. Nam, in temporalibus, bene debes quorumcumque voluntatem plus quam tuam exequi, et implere.

4. Si autem in his, quae secundum Deum operari desideras, vel ad profectum tuum, vel ad Dei honorem vel proximi utilitatem, aliquos tibi obsistere videas, seu etiam totaliter impedire, sive sint superiores, pares, vel inferiores, noli contentionibus deservire : sed teipsum in teipsum restringe, et cum Deo tuo te colligens ubique dicas : *Domine, vim patior, responde pro me* [1].

Nec de hoc contristeris ; quia non possent id, nisi finaliter pro bono tuo, et aliorum, sit expediens. Imo plus dico tibi, quod quantumcumque ad praesens non videas, videbis finaliter, quod illud in quo tibi eos impedimenta praestare credebas, erit tibi adjuvamen ad tuum propositum assequendum. Licet autem de horto sacrae Scripturae possem tibi ad haec exempla producere, sicut de Joseph, et multis aliis : nolo tamen contra id facere, quod praedixi ; sed experto crede, quia ita est.

5. Si etiam in his, quae secundum Deum desideras, te videas quodammodo divinitus impediri, vel per infirmitatem, vel quocumque alio

1. Isai., xxxvm, 14

contingente : de hoc nullatenus contristeris, sed totum aequanimiter feras, et te ex toto committas illi, qui melius novit quid tibi expediat, quam tu ipse; qui te ad se continue sublevat, dummodo teipsum illi ex toto committas, quamvis forte in hoc minime videas.

6. Ad hoc ergo sit totum studium tuum, ut teipsum in pace et tranquillitate cordis possideas ; et pro quocumque eventu non doleas, nisi de solo peccato proprio, vel alieno, sive de his quae te inducerent ad peccatum.

Non ergo te contristet quicumque casus fortuitus. Non te exagitet indignationis stimulus contra defectum alterius ; sed habeas ad quoscumque miserationis, et compassionis affectum, cogitans semper quod tu pejus faceres, nisi te Christus sua gratia conservaret.

Caput V

De mortificatione amoris privati.

1. Strenuum humilitatis exercitium. 2. Sui ipsius inspectio et despectio. 3. Duo alia exercitia ad idem conducentia.

1. Praepara insuper te ipsum ad quaecumque opprobria, ad quaecumque aspera, ad quaecumque adversa pro Christi nomine sufferenda.

Omnem etiam appetitum cujuscumque altitudinis, sub quocumque caritatis praetextu, in ipso principio et ortu suo, velut caput draconis infernalis, cauterio mortifices, baculo crucis frangas : tibi Christi humilitatem, et durissimam passionem ad memoriam revocando, qui regnum fugiens [1], crucem voluntarie est amplexus, omni confusione contempta [2].

Omnem humanam laudem fugiens cum horrore tanquam venenum mortiferum, et in despectu tuo gaudens, te ipsum talem vere, et ex corde reputes, qui merito debeas ab omnibus conculcari, et despici.

1. Joan. VI, 15.
2. Hebr. XII, 2.

2. Videas continue defectus tuos et peccata tua, et ea aggrava quantum potes. Aliorum vero defectus post tergum projicias, et non videas; quod si videris, allevies, et excuses, et ipsis compatiaris, et succuras pro viribus.

Averte oculos tuos, et mentis et corporis, ab aspectu aliorum, ut in lumine vultus Dei conspicere possis teipsum. Teipsum sine cessatione considera, et semper sine simulatione dijudica. In omni actu tuo, in omni locutione tua, et in omni cogitatione tua, teipsum reprehende, et in te semper compunctionis materias studeas invenire : cogitando quod etiam bona, quae facis, non sunt ad plenum excocta, nec illo fervore quo deberent facta, sed multis inquinata negligentiis : ut merito omnis justitia tua panno menstruatae comparari debeat mulieris [1].

Te igitur ipsum continue reprehendas, nec permittas in te sine forti increpatione transire, non solum negligentias verborum, et operum, sed etiam de ipsis cogitationibus, non dico malis tantummodo, sed etiam inutilibus, in conspectu Dei tui omni hora graviter reprehendas te; et plus vilem, et miserabilem te existimes pro tuis defectibus coram Deo, quam quoscumque peccatores, pro quibuscumque peccatis; et merito

1 Isai. LXIV, 6

puniendum, et a coelestibus gaudiis excludendum, si secundum justitiam suam, et non secundum misericordiam suam, vellet tecum agere Deus tuus, qui tantas gratias super multos alios tibi praerogavit, ad quas omnes ingratus extitisti.

3. Considera etiam diligenter, et cum magno pavore frequentissime rumina, quod omnem aptitudinem ad bonum, et omnem gratiam, seu quamcumque sollicitudinem circa virtutum acquisitionem, a teipso non habeas, sed Christus tibi dedit sola sua misericordia : qui, si voluisset, potuisset ita conferre cuicumque ribaldo, te in luto faecis et lacu miseriae derelicto [1].

Cogita etiam apud teipsum, et ad hoc te credendum inducas, et hoc tibi ipsi persuadeas, quantum potes, quod non est ribaldus, vel quicumque peccator, qui non magis assisteret Deo suo, quam tu, et qui non magis recognosceret Dei beneficia, quam tu, si recepisset gratias, quas tu, sola Dei gratuita bonitate, et non propriis meritis, recepisti. Propter quod potes teipsum viliorem, et inferiorem omni homine judicare ; et merito formidare, ne propter ingratitudinem tuam a suo conspectu te Christus foras abjiciat.

1 Ps. xxix, 3.

Non tamen dico, quod per ista debeas credere, te esse extra gratiam Dei, vel esse in peccato mortali, quamvis alii peccatores habeant innumerabilia peccata mortalia : quod tamen est nobis multum occultum, propter fallax judicium, tum propter subitam contritionem, et divinae gratiae praeviam infusionem.

Dum autem te vilificando aliis peccatoribus comparas, non expedit tibi in speciali ad eorum peccata descendere ; sed solum in quodam generali, cum eorum peccatis tuam ingratitudinem ponderando. Quin etiam si in speciali velis eorum peccata videre, potes eadem peccata in te sub quadam similitudine transformare, sic te in tua conscientia increpando : Ecce ille est homicida : et ego miser quoties occidi animam meam ? iste fornicator est et adulter : et ego tota die fornicor et adulteror, a Deo meo oculos avertendo, et diabolicis suggestionibus me supponendo ; et sic de aliis.

Si autem videris, quod diabolus te velit, in talibus comparationibus, quodammodo per talia ad desperationem inducere : tunc, omissis talibus increpationibus, in spem assurgas, considerata bonitate, et clementia Dei tui, qui tot te beneficiis praevenit, nec dubium, quin opus suum in te velit perficere, quod incoepit. Communiter

tamen homini spirituali, qui aliqualem notitiam Dei percepit, de hac desperatione timere non expedit, dum toto studio ad se increpandum invigilat. Illud tamen posset accidere, imo saepe accidit, in homine incipiente, et specialiter, quem Deus liberavit a multis periculis, et sceleribus, quibus fuerat involutus.

Caput VI

Quomodo ad unionem divinam anima jam purificata ascendit.

1. Ex humilitate generatur puritas cordis, ex puritate contemplatio, ex contemplatione caritas, ex caritate unio divina. 2. Viri apostolici quanta in tali statu securitas. 3. Omnia in praedictis doctrinae spiritualis principia summarie contenta.

1. Ex his quae supra jam perstrinxi, generabitur in te virtus illa, quae est mater et origo custosque omnium virtutum, scilicet humilitas, quae interiores oculos aperit ad Dei conspectum, cor humanum ab omni superflua cogitatione purgando.

Nam dum homo in suam parvitatem resilit, se vilificando, se increpando, se detestando, suam nihilitatem considerando, sibi ipsi intentissime displicendo ; per haec et similia in tantum circa propria occupatur negotia, quod omnis alia inutilis cogitatio aresci t ; et sic dum omnia alia au-

dita, visa, et temporaliter operata a se repellit, et in oblivionem adducit, incipit ad seipsum redire ; et modo mirabili in seipsum revolvitur, et sic ad originalem iustitiam, et caelestem puritatem incipit appropinquare.

Sic, dum in seipsum reflectitur, contemplationis oculus dilatatur : et in se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum et angelicum spiritum, et divinum. Et ex tali contemplatione, animus ad bona caelestia inardescit, et omnia temporalia tanquam nihil, et de longe prospicit. Per hoc, illa caritas in mente fervescere incipit, quae velut ignis omnem rubiginem vitiorum consumit. Sic totam animam in tantum occupat caritas, quod non est qua intret vanitas. Iam quidquid cogitat, quidquid loquitur vel operatur, totum provenit ex dictamine caritatis.

2. Unde secure potest talis praedicare sine detrimento, sine inanis gloriae periculo. Neque enim, ut jam dixi, potest aliqua vanitas subintrare, ubi caritas totum occupavit.

Numquid jam respectum habebit amplius ad aliquod commodum temporale, qui omnia reputat velut stercus? Sed et ipse laudis appetitus numquid animum ejus poterit subintrare, cum se videat velut stercus vilissimum coram Deo,

miserum, abominabilem, et ad omnia peccata proclivem, nisi eum sua benignitate manus Conditoris continuo conservaret?

Quomodo jam extolli poterit de quocumque bono opere, qui luce clarius videt, se nihil posse penitus agere, nisi continuo de hora in horam divina virtus quodammodo cogat eum atque constringat? Quomodo jam sibi aliquid attribuet, ac si a seipso proveniat, qui, non dicam centies, sed etiam millies est expertus suam impossibilitatem in quibuscumque bonis operibus magnis, et parvis; et qui toties cognovit, se non posse, dum voluit, et quando, ut ita dicam, non voluit, nec curavit, nec super talibus cogitavit, vidit se subito divinitus excitatum, fervore mirabili ad illa facienda, quae prius cum omni suo conatu implere non poterat?

Nam et talem impossibilitatem idcirco Deus tam longo tempore dominari permittit in homine, ut homo discat humiliari, et ut nunquam in seipso inaniter glorietur; sed Deo attribuat omne bonum, non solum in consuetudine quadam, sed potius ex intimis cordis sui: utpote qui ex propria experientia doctus, luce clarius videt, quod non solum non operari, sed nec *Iesus* dicere posset, nisi in Spiritu sancto [1],

1. I Cor. xii, 3.

et nisi ille donaret, qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* [1] ; ut jam recogitando, ex totis animae suae viribus Domino confiteatur et dicat : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine* [2] : ac cum Psalmista clamet : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [3].

Non igitur tali timenda est vana gloria, quando jam Dei vera gloria, et animarum zelus, eius praecordia totaliter occupant.

3. Ecce jam summarie perstrinxi, et in quodam breviloquio posui ea, quae sunt necessaria homini in seipso quantum ad vitae suae perfectionem, si utiliter, et sine periculo vult animae suae procurare salutem.

Et haec quidem sufficerent homini illustrato, et altum intellectum habenti, et qui in operibus spiritualibus longum habuisset exercitium : quia in his, quae posui breviter, tanquam in quibusdam vitae perfectae principiis, recolligere posset quaecumque alia perfectorum actuum exercitia. Nam his tribus primis perfecte servatis, scilicet voluntaria paupertate, taciturnitate, et in-

1. Ioan. xv, 5.
2. Isai. xxvi, 12.
3. Ps. cxiii, 9.

terna mentis exercitatione. de quibuscumque aliis exterioribus actibus quomodo essent faciendi, homo facile judicaret. Quia tamen non omnes possunt capere faciliter breviter dicta, paulo diutius insistemus circa particulares actus virtutum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARS SECUNDA

DE PRAXI VITAE SPIRITUALIS

Caput I

Quod per instructorem idoneum citius, et facilius pervenitur ad perfectionem, quam per seipsum.

1. Instructor idoneus quam utilis. 2. Raro invenitur : quid sit, eo deficiente, agendum.

1. Sciendum igitur, quod homo facilius, et in breviori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem, cujus regimine duceretur, cujus obedientiam in omnibus actibus parvis et magnis totaliter sequeretur; quam aliquis posset per seipsum proficere, quantumcumque vigeat acumine intellectus, et libros habeat, in quibus videat virtutum omnium structuram exaratam.

Imo plus dico, quod nunquam Christus, sine quo nihil possumus [1], suam gratiam minis trabit, si homo habet a quo possit instrui, et deduci : et negligit, vel non curat alterius duc tum amplecti, credens sibi sufficere, et per se posse investigare, et invenire quae sunt utilia ad salutem. Ista enim via obedientiae est via regia, quae homines inoffenso pede ducit ad summi tatem scalae, cui Dominus apparet innixus [2].

Hanc viam tenuere omnes sancti Patres in eremo ; et breviter, omnes qui perfectionem atti gerunt, per hanc semitam processerunt : nisi forte Deus aliquos per seipsum instruxerit, ex privilegio gratiae singularis, deficientibus eis, et non inventis qui eos foris instruerent ; quia tunc pietas divina per se supplet quod exterius minime reperitur, si tamen corde humili, et ferventi ad Deum accedant.

2. Et quidem isto tempore, heu nobis miseris ! quasi nullus reperitur, qui alios de perfectione instruat ; quin potius, si homo velit tendere ad Deum, inveniet retrahentes multos, et quasi ne minem adjuvantem.

Quam ob rem expedit, ut homo ad Deum toto

1. Joan. xv, 5.
2. Gen. xxviii, 13.

corde recurrat, et ab eo instrui cum omni orationum instantia, et cordis humilitate postulet; et se in Deum conjiciat se ipsi committendo, ut ipsum benigne tanquam orphanum sine patre recipiat, qui neminem vult perire, sed vult ad cognitionem veritatis quoscumque venire[1].

Igitur ad te dirigo sermonem meum, qui magno cordis affectu Deum desideras invenire, qui ad perfectionem anhelas, ut animabus aliorum utilis esse valeas. Ad te ergo nunc dirigo sermonem meum, qui corde simplici, et non duplici accedis ad Deum, qui quaeris virtutum intima penetrare, qui per viam humilitatis pervenire desideras ad gloriam majestatis.

1 I Tim. II, 4.

Caput II

De obedientia servanda.

1. Obedientia quoad regulas. 2. Quoad superiorum ordinationes.

1. Duobus igitur jam praemissis, scilicet paupertate, et taciturnitate, tanquam fundamentis primariis; Christi athleta se accingat, primum, ut obedientiae regulam et semitam in omnibus, et per omnia teneat, quantum possit, inconcusse: scilicet regulam, constitutiones, rubricas *Ordinarii*, et aliorum librorum, omni loco, et tempore, intus et extra, in refectorio, dormitorio, et in choro, inclinationes, et prostrationes faciendo, surgendo, et stando.

2. Et omnes majorum ordinationes ad unguem teneat, quantum potest, semper cogitans verbum Christi: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* [1].

1 Luc. x, 16.

Caput III

De modo regulandi corpus, seu de modestia.

1. De exterioris hominis compositione.
2. Quantum utilis.

1. Deinde, se accingat athleta Christi ad coaptandum corpus suum : quod totaliter in obsequium Christi Jesu coerceat, ut omnes actus, et motus corporis sint omni morum honestate compositi, secundum regularem disciplinam.

2. Neque enim poteris unquam animam ab inordinatis cohibere, nisi prius studueris corpus tuum subjicere disciplinae, ipsum restringendo non solum ab omni actu, sed etiam ab omni motu incongruo, et inepto.

Caput IV

De modo regulandi corpus circa cibum et potum

1. Contra gulam primo insistendum. 2. Quomodo quis non excedat in sumptione cibi et potus.

1. Igitur regulationem corporis intendendo, primo contra gulam insistas. Nisi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquisitione aliarum virtutum. Istum autem modum observes.

Primo, ut nihil tibi in speciali procures, sed cibariis, quae fratribus communiter apponuntur, sis contentus. Saecularibus volentibus tibi xenia mittere, nullatenus acquiescas, pro tua persona: si tamen volunt conventui mittere, mittant.

Invitationes fratrum extra refectorium nullo modo recipias, sed continue refectorium teneas, omnia jejunia ordinis observando; et hoc intellige, quandiu Christus te in sanitate conservabit. Nam si infirmus fueris, juxta infirmitatis necessitatem te tractari permittas, nihil tibi penitus procurando, sed omnia cum gratia-

rum actione recipias, quae tibi fuerint ministrata.

2. Ut autem non excedas in sumptione cibi, et potus, debes naturam tuam diligentissime examinare quanto cibo, et potu valeas sustentari : ut scias judicare inter superfluum, et necessarium. Hoc autem habeas pro regula generali, ut saltem de pane comedas sufficienter, quantum natura requirit, specialiter dum jejunas ; nec unquam credas diabolo suadenti tibi facere abstinentiam de pane.

Et in hoc poteris experiri, quantum natura requirit, vel quid sit illi superfluum : si tempore binae refectionis post Nonam inveneris te gravatum, et in stomacho sentias quemdam ardorem, ut orare, scribere, vel legere nequeas : communiter hoc accidit propter excessum. Similiter, si idem sentias post Matutinas, quando cenasti ; si etiam, quando jejunas, post Completorium idem gravamen adesse percipias. Igitur comede satis de pane, sic tamen, ut post comestionem sis paratus legere, scribere, vel orare. Si tamen illa hora non esses ita aptus sicut aliis horis, dum tamen non sentires gravamen illud, ut praedixi, non est crimen excessus.

Cogita igitur tuae naturae sufficientiam modo praedicto, vel aliter, prout te docebit Altissimus.

a quo debes suppliciter postulare. Sis sollicitus valde illum modum continue observare, et semper in mensa quidquid comedis aestimare : et quando per negligentiam excesseris, non sinas absque poenitentia digna pertransire.

De potu vero nescio tibi regulam ponere, nisi quod paulatim te restringas, de die in diem minus bibendo : ita tamen, quod non sitias nimis de die, et nocte. Specialiter autem cum potagium comedis, potes facilius transire cum potu temperato : ita tamen, quod sufficiat ad cibi digestionem. Nullo tamen modo bibas extra comestionis horam, nisi in sero, quando jejunas, et tunc valde temperate ; vel nisi propter laborem itineris, vel quamcumque aliam lassitudinem. Bibas autem vinum ita lymphatum, quod vini fortitudo deficiat. Et si esset forte, apponas aquae medietatem, vel plus. Et sic magis, vel minus, secundum quod Dominus inspiraverit.

Caput V

De modo standi in mensa quoad utrumque hominem.

1. Ante comestionem. 2. Intra comestionem. 3. Post comestionem.

1. Pulsato itaque cymbalo, cum omni maturitate lotis manibus, in claustro sedebis; nola pulsata, refectorium introibis, et non parces tibi, cum omni fortitudine tua, cum vocis et corporis modestia Dominum benedicens; et juxta ordinem tuum te collocabis in mensa, cogitans apud te corde pavido, quod debeas peccata populi manducare [1]. Cor tuum etiam praeparabis ad intelligentiam lectionis, quae legitur in mensa, vel, si lectionem non habeas, ad meditationem aliquam spiritualem : ut nequaquam totus comedas, sed corpore suam refectionem habente, anima nullatenus defraudetur.

Positus autem ad mensam, vestimenta decenter coaptes, cappam super genua retorquendo.

1. Ose. IV, 8.

Statue autem pactum tecum omnino, ut nullo modo circumspicias comedentes, sed solum tibi apposita videas.

In principio cum sederis, ne extendas subito manus ad incidendum panem ; sed stes aliquandiu super te, usquequo saltem dicas *Pater noster* et *Ave Maria* pro animabus defunctorum, qui in purgatorio existunt magis indigentium.

2. Hoc autem generaliter habeas, quod omnem actum, et omnem corporis motum cum quadam modestia facias.

Si panem diversum, durum, mollem, album, aut aliter factum ante te habeas, illum comedas qui est vicinior, et libentius comedas illum, ad quem minus sensualitas inclinatur.

Nunquam in mensa aliquid petas, sed permitte alios pro te postulare ; quod si non facerent, patientiam habe.

Non teneas cubitum super mensam, sed simpliciter manus. Non teneas crura divaricata, nec pedem unum alteri supponas.

Non recipias scutellas duplices, vel aliud quodcumque, nisi tantum quantum communiter omnes alii habent. Quamcumque autem pictantiam a quocumque missam, etiam a Priore, non comedas ; sed si potes, competenter in fragmentis abscondas, vel in scutella.

Ubi nota, quod mos Deo gratus est, aliquid de potagio Christo pauperi semper in scutella dimittere; similiter aliqua panis fragmenta, non crustas, imo illas comedas, et de pane confracto Christo dimittas. Nec nimis cures, si de hoc aliqui murmurent, dummodo praelatus tibi non mandaverit oppositum. Et generaliter de omni eo, quod comedis, aliquam particulam Christo pauperi dimittas, et bolos meliores, et non viliores. Sunt tamen aliqui, qui vilia tantum donant Christo, sicut porcis fieri consuevit. Si autem cum uno pulmento sufficienter potes comedere de pane, in secundo pulmento aliquid de pane reponas, et Christo dimittas.

Et si tibi Dominus donaverit, potes facere quasdam mirabiles abstinentias, Deo gratas, et hominibus incognitas. Si est tibi cibus insipidus, ex defectu salis, vel alia quacumque causa, noli apponere tibi sal, vel aliud condimentum, propter Christum felle et aceto potatum; sed sensualitati resistas. Similiter quaecumque salsamenta, quae ad nihilum valent nisi ad gulae excitamentum, dimittere occulte potes. Quandocumque aliquis bolus gratus tibi circa finem apponitur, illum dimitte propter Deum. Similiter caseum, fructus, et hujusmodi, quae non sunt necessaria pro salute corporis humani: imo

frequenter sunt noxia, dum non prodest, quod delectat. Si dimiseris propter Christum haec, non dubito quin tibi parabit in dulcedine Christus Dominus cibum consolationis spiritualis, etiam in alio cibo, quo contentus es propter Christum.

Et ut melius, et facilius possis a quibuscumque volueris abstinere, ponas in corde tuo, quando vadis ad mensam, quod pro peccatis tuis debes in pane et aqua abstinere : unde panis solus sit cibus, pulmentum tamen non pro cibo adjicias, sed ut possis panem convenientibus deglutire. Tene, quod si hoc posueris in corde tuo, videbitur tibi magna pictantia, habere aliquid de pulmento. Et observes, quod non ponas offas multas in paropside, sed sufficiat tibi panem intingere. Quando vero pulmentum non habueris, comedas panem et dimidium, vel paulo plus. Quando bis comesturus es, naturae satisfacias, etiamsi talia non haberes.

De multis talibus actibus, quos tibi exprimere non possum, te instruet Christus, si ad ipsum ex corde recurreris, et totam spem in ipso posueris. Quis enim exprimere valet modos innumeros, quos tibi Deus demonstrabit?

Sis etiam attentus, ne sis de illis qui finem non faciunt in edendo : imo quam citissime

poteris te expedias, servata debita honestate, ut magis lectioni possis attendere.

3. Dum a mensa surgis, ex toto corde regratieris Altissimo, qui tibi contulit bona sua, et qui tibi virtutem aliquam praestiterit, ne tibi sensualitas praevaleret. Non parcas voci tuae, sed secundum possibilitatem tuam gratias age bonorum omnium largitori.

O carissime, cogita, quam innumerabiles sunt pauperes, qui delicias maximas reputassent, si habuissent tantummodo panem, quem tibi cum aliis cibariis Dominus ministravit. Ita enim veraciter debes cogitare, quod Christus est, qui tibi dedit; imo plus, quod in mensa ipse tibi servivit. Vide ergo cum quanta disciplina, cum quanta reverentia, et maturitate, et tremore, debes in mensa consistere, ubi vides praesentialiter Deum tuum in propria persona ministrare. O quam beatus esses, si tibi desuper daretur mentalibus oculis ista conspicere! Videres enim sanctorum multitudinem copiosam cum Christo per totum refectorium discurrere.

Caput VI

De modo perseverandi in sobrietate.

1. Nihil sibi, sed Deo omnia attribuere, nec quemquam judicare. 2. Quare multi non perseverant.

1. Ut autem in tali modo sobrietatis, et abstinentiae jugiter perseveres, sta jugiter in timore, et a Deo haec te habere totaliter recognosce; et ab ipso perseverantiam pete.

Et si non vis corruere, noli alios judicare, nec contra eos indignationis spiritu movearis, si eos vides in edendo debitum ordinem non servare: sed eis compatiaris ex corde, et pro eis ora, et eos in corde tuo quantum potes excusa, cogitando quod tu non potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christus porrigit manum suam; qui non pro meritis tribuit, sed pro suae beneplacito voluntatis.

2. Si haec cogitaveris, firmus eris.

Nam quae est causa, quod multi quandoque incipiunt multa facere in abstinentia, et in aliis, qui non perseverant, corpore languente, vel spiritu frigescente? Certe nulla alia, nisi propter

eorum elationem et praesumptionem, dum de se praesumentes, aliis indignantur, eos in cordibus suis judicando. Et ideo Deus subtrahit ab eis donum suum, et vel spiritu frigescunt, vel ex indiscretionis vitio plus facientes quam oporteret, in infirmitatem incurrunt : et sic tandem dum ad restaurationem corporis intendunt, in hoc quoque metas excedunt ; efficiunturque gulosi plus quam alii, quos primitus judicabant, sicut ego de quibusdam cognovi. Nam istud communiter accidit, quod quicumque alium in aliquo judicat, Deus tandem permittit eum in eumdem defectum cadere, vel majorem.

3. Ergo servias Deo in timore ; et quandocumque te sentis in exaltatione ob memoriam beneficiorum, quae tibi donavit Altissimus, *apprehende disciplinam* increpationis et propriae reprehensionis, *ne quando irascatur tibi Dominus, et pereas de via justa* [1]. Si sic feceris, stabilis permanebis.

Ecce indicavi tibi modum Altissimo gratum, contra gulae dominium ; ad quem pauci pertingunt, qui non excedant, vel plus vel minus edendo, vel debitas circumstantias non servando.

1. Ps. II, 11.

Caput VII

De modo regulandi corpus circa somnum et vigiliam.

1. Quantum necessaria haec regulatio. 1. Pro praxi regulae.

1. Post hoc, nitaris circa somnum, et vigilias modum debitum custodire; in quo valde difficile est habere mensuram.

Ubi nota, quod duo sunt, in quibus speciali ter imminet periculum corpori, et per consequens animae, si discretionis limites excedas, scilicet, in nimia abstinentia, et vigilia inordinata. Nam in aliis virtutum exercitiis, non sic est periculum in excessu.

Et propter hoc diabolus habet istam astutiam finaliter, quod si videt hominem spiritu fervente, immittit illi suggestiones, ut faciat abstinentias, et vigilias magnas, ut per hoc inducat eum in tantam corporis debilitatem, quod infirmetur, et debilitetur, atque ulterius ad nihil valeat; imo, ut supra dixi, ut plus postea comedat, et dormiat, quam alii. Et talis nunquam

audet resumere exercitium in vigiliis, et abstinentiis, recognoscens se per talia infirmitatem incurrisse, sibi diabolo suggerente, et dicente : Non facias talia ; nescis quod ob talia fuisti infirmus ? cum tamen non fuerit per vigilias, et abstinentiam infirmatus, sed quia in his discretionis tramitem non servavit.

Unde homo simplex credit, quod, cum talia habeant speciem boni, non possint esse nisi a Deo. Et, Deo permittente, hoc fit maxime, quando talis primo cum magna humilitate, et tremore, et cum instantia orationum non recurrit ad Deum, qui eum illuminaret, et dirigeret, quando non reperiret hominem directorem. Homo enim, qui sub obedientia sancta consistit, et continue regula directionis dirigitur, et instruitur, a talibus deceptionibus tutus est, etiam si ipse pater spiritualis aliquando aliqualiter erraret. Deus enim, propter humilitatem obedientiae, totum sibi disponit ad bonum, sicut probari posset multis auctoritatibus et exemplis.

2. Itaque circa somnum, et vigilias, talis modus poterit observari : ut scilicet, tempore aestivo, post prandium, postquam campana pro silentio est pulsata, quieti membra componas. Etenim illud tempus ad spiritualia exercitia mi-

nus aptum est, et per hoc in nocte amplius poteris vigilare.

Hoc tamen generaliter debes observare quotiescumque vis dormire, ut semper, vel psalmos rumines, vel spirituale aliquid mediteris, quod etiam somnum intercipiat, et quandoque tibi in imaginatione praesentetur.

In sero, hoc communiter habeas, ut non multum vigiles. Nam per vigiliam serotinam impeditur attentio, et devotio in matutinali officio. Est enim communiter talis somnolentus, gravis, et indevotus, quando nimis vigilat in sero. Imo aliquando ex toto a matutinali officio cogitur remanere.

Igitur statue tibi aliquas breves orationes, vel aliquam lectionem, vel meditationem, quibus in sero, antequam dormias, breviter occuperis. Et inter illas meditationes, si in hoc fertur tua devotio, potest mens tua ferri ad ea, quae in Passione Domini illa hora contigerunt, et similiter faciendo in aliis horis, juxta modum, quem habes a S. Bernardo traditum, vel prout tibi Dominus inspiraverit. Non enim est omnium devotio uniformis, sed alius plus alio excitatur. Aliis enim sufficit in sua simplicitate *in foraminibus petrae habitare*[1].

1. Cant. ii, 14.

Caput VIII

De studio et oratione.

1. Lectioni et studio debet semper conjungi devota oratio. 2. Huic exercitio magis favet hora matutina. 3. Lectus duritiei ad mane surgendum valde utilis.

1. Nullus tamen, quantumcumque pollens in genio, debet dimittere ea, quae possunt eum ad devotionem excitare; imo quae legit, vel studet, debet ad Christum reflectere, cum ipso loquendo, et ab ipso intelligentiam postulando.

Saepe, dum actu studet, a libro debet ad horam oculos avertere, et, oculis clausis, se in Christi plagis abscondere, et iterato se ad librum convertere.

Etiam quandoque debet a studio surgere, et in coelum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum brevitate ad Deum fundere; vel etiam cellam egredi, et Ecclesiam, claustrum, vel capitulum circumire, secundum quod impetus spiritus confert; et aliquando oratione formata, vel informi, per gemitus et suspiria de ebullitione

cordis divinum auxilium implorando, vota sua et desideria Altissimo praesentando, sanctorum ad haec auxilium implorando. Et illud negotium quandoque agitur sine Psalmis, et sine quibuscumque orationibus exterius formatis verbo; quamvis aliquando initium sumpserit vel ex aliquo versu Psalmi, vel alterius Scripturae, sive alicujus sancti, aut a nobis interdum, Deo inspirante interius, proprio desiderio, vel cogitatu adinventum.

Cum autem ille fervor spiritus transierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam revocare, quae paulo ante studueras, et tunc dabitur tibi clarior intellectus. Quo facto, iterato ad studium redeas, vel ad lectionem, et iterato ad orationem, et sic alternando commutes. Nam per hujusmodi commutationem, in oratione majorem reperies devotionem, et in studio intelligentiam clariorem.

2. Iste autem fervor devotionis post studium lectionis, licet quacumque hora indifferenter veniat, secundum quod ille dignatur immittere, qui suaviter disponit omnia, prout vult, tamen communiter post matutinas amplius evenire consuevit. Et ideo in sero parum vigiles, ut totum spiritum post matutinas in studio, et oratione valeas occupare.

Igitur in nocte dum audis horologium, vel quodcumque signum, statim excussa omni pigritia a strato discedas, ac si ibi esset ignis accensus; et, flexis genibus, cum fervore aliquam orationem effundas, saltem *Ave Maria*, vel aliud in quo animus tuus magis inflammatur.

3. Ubi nota quod, ad hoc, ut faciliter, et sine molestia, imo cum quadam alacritate surgas, multum facit, si supra stratum durum dormias, et jaceas indutus.

Hoc debet habere generaliter servus Dei, ut omnem mollitiem, et complacentiam fugiat, ita tamen, quod discretionis limites non excedat. Habeas igitur stratum de paleis, quas quanto amplius expressione duriores exstiterint, tanto graciores debes habere, et super ipsas sufficiat tibi fasciatam, seu coopertorium habere; pro tegumento autem contra frigus unam, vel duas, pro temporum diversitate, secundum quod tua necessitas postulabit.

Ad caput autem sacculum plenum paleis habeas, et fugias mollitiem pulvinaris, et similiter omnes mollities alias consuetas, sicut de sudariis sub maxilla, vel ad collum, seu ad zonam, nisi forte de nocte in aestivo tempore propter sudorem. Nam talibus natura non indiget, sed sunt quaedam malae consuetudines introductae. Dormias

etiam indutus, sicut de die, nisi quod sotulares debes extrahere, et corrigiam relaxare. Potes tamen tempore aestivo magni aestus, cappam detrahere, et cum solo scapulari quiescere. Si per istum modum dormias, non erit tibi molestum surgere, imo cito, et cum alacritate consurges.

Caput IX

De matutinis et aliis horis dicendis.

1. Officium de Beata Virgine quomodo recitandum. 2. Divini officii praeparatio. 3. Ejusdem recitatio, quoad hominem interiorem. 4. Quoad hominem exteriorem. 5. Circa praedicta annotatio.

1. Dum igitur officium *De Beata Virgine* dicitur, stans in ostio cellae tuae, non apodiatus, sed super pedes tuos, cum omni attentione, competenti voce, distincte, et alacriter dicas officium Virginis gloriosae. Et te sic habeas, quasi eam cerneres corporalibus oculis coram te.

2. Officio Virginis terminato, et completa corporis necessitate, ad ecclesiam vadas, vel ad claustrum, prout majorem devotionem invenies. Ubi nota, quod servus Dei eundo et redeundo ad cellam, vel quemcunque alium locum, non debet esse otiosus corde; sed, vel psalmos, vel aliquid spirituale ruminare. Potes tamen, ante inchoationem officii, chorum intrare et aliquid spirituale praemeditari, ut devotius, et attentius cum aliis psalmos valeas decantare.

3. Pulsatis igitur matutinis, et factis veniis, vel inclinationibus, psallendo sta super pedes tuos, non apodiatus, sed corde, et corpore sta viriliter coram Deo tuo ; et ipsius laudes cum omni alacritate decanta, recogitans quod sine dubio sancti Angeli sunt praesentes, in quorum conspectu psallens Deo, eos debes continue revereri : utpote qui faciem Dei Omnipotentis Patris, qui omnium creaturarum est creator, in coelis vident [1], quam tu nondum nisi per speculum in aenigmate contemplaris [2].

Nunquam parcas voci, quantum potes, discretione regente. Non praetermittas iota unum, tam de psalmis, versibus, dictionibus, et syllabis, quam de voce. Et si non potes aequali voce cum aliis, tamen cum voce submissa. Et si potes, psalmos, et hymnos cantes in libro.

Dum intellectum habes in psalmis, et ceteris orationibus, ut consolationem spiritus reportes, tunc oportet te esse sollicitum, ut in actu exteriori, scilicet in gestu corporis, et sono vocis, aliquid non appareat levitatis : sed tunc specialiter oportet te conservare mentem, et debitam gravitatem. Nam spiritualis laetitia in quamdam

1. Matth. xviii, 10.
2. I Cor. xiii, 12.

convertitur levitatem, nisi freno discretionis actus comprimatur extrinsecus.

Toto conatu tuo facias, *ut psallas spiritu et mente* [1]. Nam magnus labor est homini, praecipue incipienti, nondum in Deo roborato, tempore psalmodiae, mentem ab evagatione constringere.

4. Semper in choro teneas locum tuum, et communiter te ponas in uno loco, nisi forte alius veniret, cui merito cedere oportet.

Si in choro praevideris aliquem defectum, per te, vel per alium studeas implere. Unde nota, quod Deus gratum haberet, si pridie praevideres rubricas, et omnia dicenda in choro, et paratus esses ad omnes defectus, et negligentias aliorum supplendas. Sed caveas, quod dum in choro est aliqua controversia circa ea quae sunt dicenda, vel cantanda, ne tu os tuum aperias, etiam si certus esses de eo quod dicendum esset. Sed multi quandoque pro uno modico multum litigant. Minus malum esset errare, quam litigare. Si autem unico verbo posses errorem chori corrigere, tunc facere debes, specialiter si tu es de provectioribus in choro. Si autem te vides spiritu impatientiae agitari, melius est quod tu studeas motum animi tui subjugare.

1. I Cor. xiv, 15.

Si autem aliquis male legit, vel cantat, vel quocumque modo inepte se habet, non submurmures, vel corrigas. Est enim species cujusdam jactantiae talis correctio. Idem in lectione, quantumcumque quis male, et inepte legat, nec etiam aliquod signum facias : quia hoc est signum mentis vento elationis inflatae.

Quando multi subito currunt ad aliquem defectum supplendum, non te ingeras. Si autem nullus esset supplens, tunc cum omni modestia ad supplendum occurras : sed si potes, taliter defectum anticipes, ne valeat deprehendi. Cave tamen ne duas lectiones immediate legas, vel duo responsoria, nisi tantus esset defectus, et maxime ubi est multitudo fratrum. Item non de facili te ingeras, si juvenis es, ad dicenda ea quae pertinent ad antiquos.

Non circumferas oculos hinc inde ; nec aliquem videas, quid faciat, vel quomodo se habeat : sed oculis in terram demissis, vel sursum erectis, vel clausis, vel ad librum, stes. Semper quando dicis divinum officium, dum stas, vel sedes, non teneas manus sub mento, sed sub cappa, vel scapulari : ubi condecens est semper cappam habere. Non teneas unum pedem super alium, vel tibias divaricatas ; sed cum omni modestia, ut qui es in praesentia Dei

COLLEGE LIBRARY

tui. Caveas, ne digitos teneas in naribus. Sunt enim aliqui, qui in hoc, et talibus miseriis, non sine diaboli stimulatione occupantur, divertentes a divino officio, et indevotionem non modicam ostendentes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non possunt exprimi : sed si humilitatem habueris, et integram caritatem, de omnibus unctio te docebit [1].

5. Tu, qui legis, attende, quia cum hic ponantur multi actus qui ad omnem circumstantiam variantur, non propter hoc improbes, si aliquando aliter fieri oporteret, sicut de loquendo in choro, cum error appareret : quia ad antiquum bene pertinet emendare. Generaliter tamen verum est, quod servum Dei litigare non decet [2]. Minus malum est, patienter tolerare errorem, quam contentionibus deservire : quanto magis in choro, ubi tales contentiones scandalosae, et attentionis, ac tranquillitatis mentis sunt conturbativae.

Similiter, cum dico, quod semper legat, vel cantet in choro. Quandoque enim posset oriri talis in mente devotio, quae ex cantu impediretur, quod melius esset apud se dicere officium.

1. I Joan. II, 27.
2. II Tim. II, 24.

praecipue ubi alii essent, qui sufficerent ad cantandum : et sic de multis aliis, prout melius te docebit Altissimus, si, contemptis omnibus, ei corde simplici volueris adhaerere. Non enim debet sibi quisque faciliter credere, ut oppositum faciat, nisi longo virtutum exercitio discretionis spiritum sit adeptus.

Caput X

De modo praedicandi.

1. Quomodo praedicandum. 2. Quomodo confessiones audiendum. 3. Caritas a Deo saepe postulanda.

1. In praedicationibus, et exhortationibus utere eloquio simplici, et confabulatione domestica, ad declarationem actuum particularium. Et quantum potes, insiste cum exemplis, ut quilibet peccator, habens illud peccatum, videatur perculi, ac si illi soli praedicares : taliter tamen, quod verba videantur ab animo procedere, non superbo vel indignanti, sed magis ex visceribus caritatis, et pietatis paternae : sicut pater condolet peccantibus filiis, vel infirmitate gravi, vel in fovea grandi jacentibus, quos nititur extrahere, et liberare, et fovere sicut mater, et sicut qui gaudet de profectu eorum, et de gloria Paradisi sperata.

Talis enim modus consuevit esse proficuus audientibus. Nam de virtutibus, et vitiis locutio generalis parum excitat audientes.

2. Item in confessionibus, ut, sive blande tractes pusillanimes, sive terreas induratos, semper viscera caritatis ostendas : ut semper peccator sentiat, quod verba tua ex pura caritate descendant. Et ideo caritativa verba, et dulcia semper pungitiva praecedant.

3. Tu itaque, qui desideras proximorum animabus esse utilis, primo ad Deum ex toto corde recurre, et hanc petitionem ab eo suppliciter postula, ut tibi illam caritatem largiri dignetur, in qua est summa virtutum, per quam possis perficere quod optas.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput XI

Remedia contra aliquas tentationes spirituales.

Tentationes circa ea quae sunt ad Deum.

Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, dicam tibi remedia contra aliquas tentationes spirituales, quae in isto tempore abundant in terra, ad purgandum, et probandum electos. Quae quamvis expresse, et manifeste non sunt de aliquo principali articulo fidei; tamen qui bene respicit, cognoscit quod sunt in periculo destructionis principalium articulorum fidei, et quod praeparant cathedram, et sedem Antichristo.

Quas tentationes nolo exprimere : non enim ponam materiam, et occasionem scandali, seu offendiculum, ad imperfectionem [1]; sed monstrabo tibi, per quam spiritualem discretionem debes te regere, si non vis esse victus a prae-

1. Id est, viris imperfectis et simplicibus.

dictis tentationibus. Et quia praedictae tentationes veniunt duobus modis, primo quidem per suggestionem, et illusionem diaboli, qui decipit hominem in regimine quod deberet habere erga Deum, et in hoc quod est Dei; secundo per corruptam doctrinam aliquorum, et eorum modum vivendi, qui jam venerunt in praedictas tentationes: propter hoc volo tibi dicere, quod regimen debes habere erga Deum, et illud quod est Dei, si vis esse immunis a praedictis tentationibus; et post, quomodo debes regi erga alios, quantum ad doctrinam, et modum vivendi eorum.

1. Primum ergo remedium contra tentationes spirituales hujus temporis, quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, est, quod illi qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem, vel per contemplationem, vel per alia opera perfectionis, visiones, vel revelationes, vel sentimenta, quae sunt supra naturam, et supra communem cursum eorum, qui diligunt Deum, et timent per verissimum amorem: quia praedictum desiderium non potest esse sine radice et fundamento superbiae, et praesumptionis, vel intentionis alicujus vanae curiositatis circa Deum, vel sine fragilitate fidei. Et propter hunc defectum, justitia Dei dimittit animam,

quae habet antedictum desiderium, et permittit eam venire in talem illusionem et tentationem diaboli, per falsas visiones, et revelationes, et falsas seductiones. Per quem modum seminat majorem partem tentationum spiritualium hujus temporis, et radicat eas in cordibus illorum, qui sunt nuntii Antichristi, secundum quod poteris videre per subsequentia.

Debes enim scire, quod verae revelationes, et sentimenta spiritualia secretorum Dei, non veniunt per antedictum desiderium, neque per aliquem conatum, seu studium, quod anima habet in se; sed tantum veniunt pura bonitate Dei, in animam, quae est in magna humilitate, et in magno desiderio Dei, et reverentia. Nec etiam exercitet se in magna humilitate, et timore Dei, propter hoc, ut hujusmodi habeat visiones, et revelationes, et sentimenta supradicta: quia in idem delictum caderet, in quod per supradictum desiderium.

2. Secundum remedium est, quod in anima tua in oratione, vel contemplatione, non sustineas aliquam consolationem magnam, vel parvam, ex quo tibi videretur, quod fundaret se in praesumptione, et aestimatione tui ipsius, et postquam ducit in abusionem proprii honoris, et reputationis, et ex quo suggerit menti tuae,

te dignum esse vel hujus vitae gloriae, et laudis, vel paradisi. Quia scias, quod anima, quae consentit in tali consolatione, venit, et incurrit in plures malos errores : quia Dominus per suum justum judicium permittit potestatem diabolo augmentandi praedictam consolationem, et accelerandi, et imprimendi in illa anima falsissima, et periculosissima sentimenta, et alias illusiones, quas consolationes credit, et putat esse veras. Heu ! heu ! Deus meus, quot personae sunt deceptae per istum modum ! Et scias pro certo, quod major pars raptuum, imo rabierum nuntiorum Antichristi, venit per istum modum.

Et propter hoc cave ne in tua oratione, vel contemplatione, sustineas aliquam consolationem, nisi illam, quae venit per perfectam notitiam, et completum sentimentum tuae humilitatis, et imperfectionis ; et quae facit perseverare dictam notitiam, et antedictum sentimentum in te, et ducit in magnitudinem, et in altitudinem Dei per altam reverentiam, cum magno desiderio honoris Dei, et gloriae ; et quod antedicta consolatio fundetur in praedictis.

3. Tertium remedium est, quod omne sentimentum, etiam quatumcumque altum, et omnem visionem, quantumcumque sit secreta, et se-

creto tibi appareat, quaecumque sit ; ex quo ducit cor tuum ad opinionem, vel infectionem contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, et maxime contra humilitatem, vel contra honestatem, exhorrescas ; quia sine dubio ex parte diaboli venit.

Et si apparet tibi aliqua visio sine hujusmodi sentimento ; de qua sis certus, quod venit ex parte Dei, et propter quam sis certificatus in corde tuo, quod illud, ad quod inducit visio, est Deo placitum : noli te firmare in dicta visione.

4. Quartum remedium est, quod si per revelationem, vel sentimentum, vel alium modum, cor tuum moveatur ad faciendum aliquod opus, et maxime opus grave, et notabile, non tibi consuetum, de quo non habeas certitudinem an Deo placeat, imo dubites rationabiliter : contrahas moram ad faciendum dictum opus, usquequo inspexeris omnes circumstantias, et maxime finales, et cognoscas quod Deo placet. Non tamen quod tu judices per te tuam opinionen ; sed, si potes, per testimonium sacrae Scripturae, vel exemplum imitabile sanctorum Patrum. Et dico, « exemplum imitabile » ; quia, secundum B. Gregorium, aliqui sancti fecere aliqua opera, quae non debemus imitari, quamvis bona

essent in eis ; sed debemus ea habere in admiratione, et reverentia. Et si per temetipsum non potes venire in notitiam an placeat Deo, petas consilium a personis approbatis in vita et doctrina, et consilium totius veritatis.

Caput XII

Remedia contra aliquas alias tentationes.

1. Tentationes circa ea quae sunt ad homines. 2. Remedia quaedam generalia.

Post haec dicam tibi aliqua remedia, quae debes attendere per temetipsum circa aliquas personas, quae seminant dictas tentationes per suam vitam, et doctrinam.

1. Primum quod debes attendere circa tales personas, est, quod non habeas magnam aestimationem visionum earum, nec sentimentorum, nec raptuum ; imo si dicerent tibi aliquid, quod sit contra fidem, et contra sacram Scripturam, aut contra bonos mores, abhorreas earum visiones, et sentimenta tanquam stultas dementias, et earum raptus sicut rabiamenta.

Tamen sive dicant, sive judicent in hoc quod est secundum fidem, et sanctam Scripturam, et secundum Sanctos, et bonos mores, noli spernere, quoniam sperneres quod est Dei [1] ; tamen

1. I Thes. v, 20.

non confidas totaliter : quia saepe, et maxime in tentationibus spiritualibus, falsitas inducitur, seu absconditur sub similitudine veritatis, et malitia sub similitudine boni, ut diabolus possit saepe, et melius mortale venenum sine suspicione diffundere.

Et ideo credo, quod plus placet Deo, quod visiones, et sentimenta, et raptus, qui, secundum quod dictum est, habent similitudinem veritatis et bonitatis, dimittas ire pro tanto quantum valent ; nisi contingant aliquibus personis ratione sanctitatis, et discretionis, ac eorum humilis probitatis, de quibus certum est, quod praedictae personae non possunt decipi per illusiones, nec per ingenium diaboli. Et tunc, quamvis sit pium visionibus, et sentimentis tantarum personarum consentire ; tamen securum est, non totaliter credere in eis ratione sui, propter rationem praedictam ; sed quantum concordes sunt cum fide catholica, et sacra Scriptura, et bonis moribus, et verbis sanctis, ac doctrina sanctorum.

2. Secundum remedium est, quod nec propter magnam devotionem, nec propter magnam vitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquam sufficientiam aliam, quam vides in aliqua persona, vel aliquibus personis, sequaris

eorum consilia, nec eorum modos; ex quo cognoscis clare, et multum rationabiliter, quod eorum consilia non sunt secundum Deum, et veram discretionem, et per vitam Jesu Christi et sanctorum monstratam, et per sanctam Scripturam in dictis sanctorum praedicatam, et notificatam. Et propter hoc non timeas, quod spernendo talia consilia eorum, pecces per superbiam, et praesumptionem, dum hoc facis propter zelum, et amorem veritatis.

3. Tertium remedium est, quod fugias, et vites familiaritates, et societates illorum, et illarum, qui, vel quae dictas tentationes seminant, et diffundunt; et vites illas personas, quae sustinent, et laudant eas; et noli audire eorum verba, nec collationes eorum, nec modos eorum velis videre: quia tibi daemon subministrabit, et ostendet magnum signum perfectionis in pluribus eorum verbis, et modis: quae si velles accipere, et illis credere, venires, et rueres in pericula, ruinas, et praecipitia errorum illorum.

Remedia generalia. 1. Primum remedium est, quod te existente in tentatione spirituali, per quam es in dubio, non incipias ex tua propria voluntate aliquid notabile, tibi ante inconsuetum: sed cor tuum refrenando, et volun-

tatem, exspectes humiliter, et cum tremore, et reverentia Dei, usquequo Deus cor tuum clarificet.

Quia scias pro certo, quod si existendo in dicto dubio, ex tua propria voluntate inciperes aliquid notabile inconsuetum tibi, non posses exire ad bonum finem. Et intendo dicere, de incipiendo opera notabilia, et inconsueta, super quae est dubium antedictum.

2. Secundum remedium est, quod propter antedictas tentationes, si eas habeas, non dimittas aliquod bonum, quod incoepisti, dum non eras in tentationibus antedictis. Et maxime non debes dimittere orare, nec confiteri, nec communicare, nec jejunare, nec opera pietatis, et humilitatis: licet consolationem non invenias in operibus antedictis.

3. Tertium remedium est, quod si tu es immunis a praedictis, sic, quod nunquam habueris, vel quod quantumcumque habueris, fueris liberatus ab eis: dirige cor tuum et intellectum ad Deum, recognoscendo humiliter gratiam Dei tibi factam, et eidem ex corde multoties, imo indesinenter regratieris super hoc. Et caveas tibi, ne hoc, quod habes per puram gratiam, et bonitatem Dei, velis attribuere virtuti, vel sapientiae tuae, vel merito tuo, sive tuis mo-

ribus, neque quod fuerit factum a casu, sive a fortuna : quia, secundum quod dicunt sancti, hoc est principalius, per quod Deus beneficium suae gratiae aufert, et subtrahit homini, et permittit eum subjici tentationibus, et illusionibus diaboli.

4. Quartum remedium est, quod si tentationes antedictas habeas, leva cor tuum, et intellectum tuum ad Deum, quaerendo humiliter hoc, quod erit ei honorabilius, et tuae animae salubrius super tui tentatione, subjiciendo tuam voluntatem voluntati divinae : quod si illi placet, ut perseveres in illis tentationibus, similiter tibi placeat, ut Deum non offendas.

Caput XIII

De rationibus excitatoriis ad perfectionem.

Quatuordecim rationes successive proponuntur.

Quia placet mihi multum de hoc, quod coepisti, bono ad honorem Dei, et desidero non solum, quod perseveres, quin imo ut ascendas ad majora opera virtutum, vel saltem desideres; idcirco scribam tibi aliquas rationes, unde poteris cor tuum excitare, et movere ad majores perfectiones omnimodae virtutis, quam non incoepisti nec poteris servare per propriam virtutem.

Prima ratio est: quia si inspicias quantum Deus est dignus amari, et honorari secundum suam bonitatem, et sapientiam, et alias suas perfectiones, quae sunt in eo sine numero, et sine termino: videbis quod hoc, quod credidisti multum, et magnum ad honorem Dei, et secundum bonitatem ejus, est minimum, et quasi nihil in respectu ejus, quod deberet esse secundum quod Deus est dignus. Istam rationem id-

circo pono primam, quia principaliter debemus attendere in omnibus operibus nostris honorem, et reverentiam, et amorem Dei, qui ex seipso est dignus amari super omnem creaturam.

Secunda ratio est : quod si attendas despectus, et vituperia, egestates, et dolores, et passionem, quam tam amaram sustinuit Filius Dei propter amorem tui, et ut in hoc ames, et honores eum : cognosces quod parum est, quod fecisti ad Deum amandum et honorandum, secundum quod facere deberes. Ista ratio altior est, et perfectior, quam sequentes ; et ideo pono eam secundam.

Tertia ratio est : quod si cogites innocentiam, et perfectionem, quam debes habere secundum mandatum Dei, per quod teneris esse absque omni vitio, et sine omni culpa, et in plenitudine virtutis totius, sicut est, quod debes amare Deum ex toto corde tuo, et ex omni mente tua, et ex totis viribus tuis : videbis manifeste infirmitatem tuam, et distantiam, in qua es a praedicta innocentia, et perfectione.

Quarta ratio est : quia si cogitas multitudinem, et largitatem beneficiorum Dei, gratiarum corporalium, et spiritualium, quae tibi et aliis, vel quae singulariter tibi sunt datae : scies quod hoc, quod facis, vel potes facere propter

Deum, nihil est ad dicta beneficia recompensanda, et gratias Dei: et maxime si ejus liberalitatem attendas, et bonitatem.

Quinta ratio est: quia si cogitas altitudinem, et nobilitatem remunerationis, et gloriae promissae, et paratae illis, qui faciunt opera virtutum ad honorem Dei; quoniam gloria tanto major erit, quanto opera erunt virtuosiora, et majora: cognosces pro certo, tuum meritum esse nihil in comparatione tantae gloriae, et desiderabis facere opera virtuosa plus quam ante feceras.

Sexta ratio est: quia si attendas pulchritudinem, et generositatem, quam habent virtutes in se, et nobilitatem quam recipit anima per supradictas virtutes: et si attendas ad vilitatem, et turpitudinem, quam habent vitia, et peccata: conaberis, si sapiens fueris, ad amplius acquirendum virtutes, et amplius fugiendum vitia, et peccata.

Septima ratio est: si attendas altitudinem, et perfectionem vitae sanctorum Patrum, et eorum multas, et perfectas virtutes: cognosces imperfectionem, et infirmitatem vitae tuae, et tuorum operum.

Octava ratio est: quia si cognosceres magnitudinem peccatorum, et multitudinem offensa-

rum, quae fecisti contra Deum : cognosceres quia opera tua, quae facis, quantumcumque bona sint, nihil sunt ad satisfactionem per viam justitiae de offensis Dei.

Nona ratio est : quia si speculeris universitatem, et pericula tentationum carnis, et mundi, et diaboli : conaberis assumere majorem firmitatem, et majorem altitudinem in omni virtute, quam feceris unquam : ut possis in majori securitate persistere contra dictas tentationes.

Decima ratio est : quia si cogites districtum judicium Dei finale, et quod cum apparatu bonorum operum, et cum satisfactione de offensis Dei, debeas venire ad dictum judicium : videbis quod parum est, quod fecisti per bona opera, et poenitentiam, secundum quod facere debuisses.

Undecima ratio est : quia si tu cognosceres brevitatem vitae tuae, et veritatem tuae mortis, post quam non habebis spatium faciendi opera meritoria, neque poenitentiam : cognosces quod cum majori corde, et studio, deberes facere bona opera, et poenitentiam, quam tu facis.

Duodecima ratio est : quia si animadvertas, quod, qualitercumque incipias bonam vitam in quovis gradu, sine conamine et desiderio ad majorem perfectionem, et altiorem vitam ascendendi, non potest esse sine fundamento prae-

sumptionis, et superbiae hujus, quod incepisti, nec sine inclusione magnae tepiditatis, et negligentiae ; et ex quo haec duo mala includuntur, non potest esse sine magno periculo vivendi in multis vitiis spiritualibus, secundum quod monstrare tibi possem, sed nimis esset longum ad scribendum per litteras : non dubito quin, si velis dictorum malorum esse liber et immunis, quantumcumque altam vitam incoeperis, tu adhuc conaberis in altiori et perfectiori vita esse. Bernardus, super Psalmum : *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, loquens de illis qui sunt fervidi in principio, et postea, credentes se aliquid esse, tepescunt : « O si scires, inquit, quam parvum est, quod habes, et hoc ipsum quam cito perdes, si non servaverit qui dedit ! »

Tertiadecima ratio est : quia si cogitas abyssalia judicia Dei facta super aliquos, qui diu perseveraverunt in magna sanctitate, et in magna perfectione, quod Deus deseruerit eos, propter aliqua occulta vitia quae se non credebant habere : non dubito quin quantumcumque altam vitam incoeperis, omni die levabis tuas affectiones, et intentiones, deserendo omne vitium plus quam feceras ante, appropinquando te ad perfectam et integram sanctitatem : timendo ne forte in te sit vitium aliquod occul-

tum, propter quod merearis a Deo deseri.

Quartadecima ratio est : quia si cogites poenas infernales damnatorum, paratas cunctis peccatoribus ; credo quod levis erit tibi omnis poenitentia, humilitas, paupertas, et omnis labor, quem in ista vita possis sustinere propter Deum, ut evadas poenas supradictas ; et conaberis continue ad tenendum altiorem, et perfectiorem vitam, timendo periculum veniendi ad supradictas poenas.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput XIV

Supradictae rationes quomodo habeant efficaciam.

Ut efficaciam habeant supradictae rationes, necesse est quod moveatur et ipsa voluntas; quod pro singulis successive demonstratur.

Praedictas rationes plus in brevitate tetigi, quam explicaverim : ut tu addiscas in paucis magna cogitare, sic quod quaelibet sit tibi materia altae contemplationis, et spatiosae.

Attamen scias, quod si velis proficere ex praedictis rationibus, debes formare non solum per intellectum, imo etiam est necessarium, quod per certam affectionem moveas voluntatem tuam ad hoc, quod dicunt dictae rationes. Et ut melius intelligas, replicabo tibi sub brevi memoria dictas rationes, ostendendo tibi qualiter dictae rationes non habent efficaciam in anima, nisi formentur per affectionem, et sentimentum spirituale.

Prima enim ratio non habet vigorem, nisi in anima, quae habet magnum spiritum, et sentit

et contemplatur nobilitatem, et perfectionem, et dignitatem Dei, et conatur ad amandum Deum, et honorandum in omnibus, secundum quod Deus est dignus.

Secunda ratio non habet efficaciam, nisi in anima, quae cordialem devotionem sentit in spiritu erga caritatem et bonitatem Filii Dei, quam nobis monstravit in sua propria passione, propter nos accepta ; sic, quod anima desideret totis suis viribus facere recompensationem Deo, de bonitate, et de caritate ostensa in passione.

Tertia ratio non proficit, nisi in anima, quae sentit altitudinem perfectionis, quam requirit Dominus, et praecipit esse in omni creatura ; quae profunda ratione mandatum Dei conatur adimplere, et cum magna voluntate venire in dictam perfectionem.

Quarta ratio solum locum habet in anima, quae per intellectus affectionem recogitat magnitudinem, et nobilitatem beneficiorum Dei, et gratiam ipsius ; et quae conatur rependere Deo servitium debitum secundum beneficia recepta.

Quinta ratio habet valorem tantum in anima, quae habet in aestimatione, et ferventi amore gloriam promissam in Paradiso, et quae habet firmam fidem et spem veniendi ad illam gloriam per bona opera virtutum ; sic, quod dictis ope

ribus conetur venire ad illam gloriam supradictam.

Sexta ratio non habet efficaciam, nisi in anima, quae habet in horrore omnia vitia, et peccata in abominatione : et in magna complacentia, et amore, perfectionem virtutum, et gratiae Dei, et hoc cum magno excessu, et altitudine.

Septima ratio habet solum virtutem in anima, quae habet in magna aestimatione vitas sanctorum, cum desiderio imitandi. Et maxime intendo dicere perfecte perfectorum, sicut est Virgo principaliter, Joannes Baptista, Joannes Evangelista, et omnes Apostoli, et sic de aliis.

Octava ratio non proficit nisi in anima, quae aggravat offensas contra se, quas fecit contra Deum ; et quae habet voluntatem magnam faciendi Deo justitiam, et satisfactionem peccatorum suorum per bona opera, et virtuosa.

Nona ratio non habet locum, nisi tantum in anima, quae sentit suam debilitatem, et gravitatem et periculum tentationum : propter quod conatur ad fugiendum occasionem cadendi in tentationem, ad veniendum in securitatem gratiae Dei.

Decima ratio non habet locum, nisi in anima, quae cognoscit peccata sua, et habet timorem et

tremorem cordialem sententiae finalis judicii, quae dabitur contra peccatores, qui non egerunt poenitentiam de peccatis suis.

Undecima ratio non habet locum, nisi in anima, quae habet timorem mortis, et habet magnum propositum faciendi opera meritoria.

Duodecima ratio tantum proficit animae, quae sentit, vel intelligit, quod inchoare bonam vitam sine conamine, et desiderio altiorem vitam assumendi, non potest esse sine inclusione praedictorum vitiorum, et sine periculo grandium malorum ejus, qui non vult fugere dicta vitia et pericula.

Tertiadecima ratio non habet efficaciam, nisi in anima, quae summe curat de sua salute, et timet separationem a gratia.

Quartadecima ratio non habet efficaciam, nisi in anima, quae timet de poenis damnatorum, sentiendo quod digna est venire in poenas supradictas, propter offensas quas commisit contra Deum; et quae vult, et conatur vitare poenas antedictas per satisfactionem poenitentiae.

Et nota, quod conclusio et finis cujuslibet rationis debet esse in duobus: primo, in sentimento propriae imperfectionis, et nihilitatis;

deinde, in desiderio et conamine veniendi in altiorem vitam : sic, quod non sit sentimentum propriae imperfectionis et annihilationis, sine desiderio, et conamine majoris perfectionis, et vitae altioris, nec e converso.

PARS TERTIA

SUMMARIA DOCTRINAE SPIRITUALIS

Caput I

De duobus vitae spiritualis principiis.

1. Aversio a nobis. 2. Conversio totalis ad Christum.

1. Qui vult fugere, atque evadere laqueos, atque tentationes Antichristi seu diaboli finales, debet habere in proprio sentimento sui duo.

Primo, quod sentiat de seipso, sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus, et male olenti, et sicut de uno cadavere quod dedignantur videre intuentes; imo superclaudunt nares propter ejus pessimum fetorem, et avertuntur facies, ut non videant talem ac tantam abominationem.

Sic expedit, carissime, facere semper mihi, et tibi: sed plus mihi, quia tota vita mea fetida est, totus fetidus sum, et corpus meum, et anima

mea, et omnia quae intra me sunt, faece et putredine peccatorum, et iniquitatum foedissima, et abominabilissima sunt; et, quod deterius est, quotidie hunc fetorem in me sentio recentius, et copiosius renovari.

Et debet talem fetorem de seipsa sentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, sicut coram illo, qui omnia videt, et sicut si esset coram districto Judice; et dolore maximo de offensa Dei, et perditione gratiae suae, in qua erat, quando redempta fuit pretiosissimo Christi sanguine, et abluta per baptismum.

Et sicut sibi, et Deo fetere se credit, et sentit, sic etiam credat, et sentiat quod, non solum coram angelis, et sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus, sit abominabilis, et fetidus; et quod facta, et dicta sua non solum homines videre, et audire dedignantur, sed quod nares suas claudant, et avertant facies suas, ne ipsum videant, et tanquam fetidum cadaver de medio sui expellant, et sit ab eis alienatus, et separatus, et projectus sicut plus quam leprosus, usquequo veniat et reveniat ad seipsum. Et si quis de eo justitiam faceret, et de corpore suo, sentiat quod, justum est, et ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, truncarentur manus, abscinderentur aures et os, et sic de

aliis sensibus corporalibus et membris : quia in his omnibus Deum offendit et Creatorem. Item, quod despici desideret, et contemni ; et quod omnia vituperia, verecundias, et diffamationes, injurias, blasphemias, et omnia adversa, summo cum gaudio et laetitia recipiat, et patienter ferat.

2. Secundo, oportet quod diffidas de te ipso totaliter, et de omnibus bonis tuis, et de tota vita tua ; et convertas te totum, et reclines super brachia Jesu Christi pauperrimi, humillimi, improperati, despecti, et mortui propter te : usquequo tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis ; et Jesus Christus crucifixus vivat in corde tuo, et in tua anima, et totus transformatus, et transfiguratus, cordialiter sentias in te [1], ut nunquam videas, nec sentias, nec audias nisi solum Jesum stantem in cruce propter te mortuum, et suspensum, ad exemplar Virginis Mariae : et sis mortuus mundo, et vivus in fide ; et quod in illa fide vivat tota anima tua [2], usque ad resurrectionem [3], in qua Dominus immittet gaudium spirituale, et donum sancti Spiritus in

1. Phil. II, 5.

2. Gal. II, 20.

3. Resurrectionem, nempe spiritualem, id est renovationem status Ecclesiae, de qua etiam in ultimo capite loquitur auctor.

animam tuam, et in illas personas, in quibus debet renovari status Apostolorum et Ecclesiae sanctae Dei : exercens te sanctis orationibus, sive sanctis meditationibus, et affectionibus ad obtinenda dona virtutum, et gratiam Dei.

Caput II

De affectibus quibus nos exercere debemus.

1. Nempe, erga Deum. 2. Erga nosmetipsos. 3. Erga proximum. 4. Circa temporalia

De affectibus erga Deum.

Sed debes praecipue septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet :

1. Amore ardentissimo ; 2. timore summo : 3. honore debito ; 4. zelo constantissimo. Et illis debet jungi ; 5. gratiarum actio, et vox laudis ; 6. omnimodae obedientiae promptitudo ; et 7. suavitatis divinae pro posse degustatio. Utpote dicendo :

Bone Jesu, fac, ut totis medullis et mente, te amem, summe timeam, revereor, et pro omni honore tuo fortissime zeler, ita quod omne tuum opprobrium, tanquam tuae gloriae zelotypus, vehementissime exhorrescam, et potissime, si in me, aut a me, vel pro me, facta tibi sint opprobria ulla, Deus meus. Da etiam, ut te Dominum, tanquam tua creatura, humiliter adorem et re-

cognoscam, et de omnibus beneficiis a te mihi impensis gratias semper agam, et hoc cum summa gratitudine cordis. Da etiam ut in omnibus semper te benedicam, laudem, et magnificem, et hoc cum summo jubilo, et tripudio cordis ; et tibi in omnibus obtemperans, et obediens, semper reliciar dulcissima tua et ineffabili suavitate, cum sanctis tuis angelis et apostolis tuae mensae assistens, licet omnino indignus, et ingratus. Qui cum Patre etc.

De affectibus erga nosmetipsos.

Debet etiam circa seipsum se exercere alio septiformi affectu :

Primo, scilicet, quod totus de suis vitiis, et defectibus confundatur.

Secundo, ut peccata sua, tanquam offensiva Dei, et sui ipsius maculativa, acutissimo, et acerbissimo dolore plangat, et deploret.

Tertio, humiliatio sui, et conculcatio cum contemptu : ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam, et fetidissimam spernat, et contemni appetat, ut dictum est.

Quarto, rigore severissimo : ut scilicet corpus suum asperrime maceret, et macerari appetat, tanquam peccato fetidum, imo tanquam la-

trinam, et sentinam, et tumulum omnium foeditatum.

Quinto, ira implacabili contra omnia vitia sua, et contra radices, et inclinationes vitiorum suorum.

Sexto, vigore pervigili, et strenuo : ut scilicet omnes sensus, actus, potentias suas semper cum quadam virilissima strenuitate in omne bonum teneat pervigiles, et attentos.

Septimo, discretione perfectae modestiae, seu moderantiae : ut scilicet in omnibus districtissime servet mensuram, et modum, inter videlicet nimium, et non satis; ut nihil sit in eo superfluum, nil diminutum, aut defectivum; nec plus quam debet, aut minus quam deceat.

De affectibus erga proximum.

Debet etiam circa proximum se exercere alio septiformi affectu :

Primo quidem, per piam compassionem : ut scilicet ita sentiat aliorum mala, et incommoda, sicut sua.

Secundo, per dulcem congratulationem : ut scilicet de aliorum bonis laetetur, sicut de suis.

Tertio, per tranquillam supportationem, et

condonationem : ut scilicet molestias, et injurias ab aliis illatas patienter toleret, et ex corde indulgeat, et condonet.

Quarto, per benignam affabilitatem : ut scilicet sit ad omnes benignus, et omnibus bonum affectet, et optet, et talem se exhibeat in gestibus suis, et verbis.

Quinto, per reverentiam humilem : scilicet ut omnes sibi praeferat, et omnes revereatur, et omnibus ex corde se subdat tanquam dominis suis.

Sexto, per concordiam unanimem : ut scilicet, quantum in se est, et quantum secundum Deum potest esse, unum sentiat cum omnibus; et ita sentiat, se esse omnes, et illos se, et omnium rectum velle pro suo reputet, et e contrario.

Septimo, per Christiformem sui pro omnibus oblationem : scilicet ut ad instar Christi pro omnium salute sit paratus et sollicitus ponere vitam suam, et die nocteque orare, et laborare, ut omnes in Christo invisceretur, et Christus in eis.

Sed tamen, ne ex hoc credatur quin vitia hominum sint pro toto posse cavenda et fugienda, sciendum, quod, quandocumque ex societate malorum hominum, vel imperfectorum esset peri-

culum, vel occasio retrahens vel impediens a perfectione, vel fervore praedictarum virtutum, debes a talibus, sicut a serpentibus, vel draconibus, elongari. Non enim est carbo ita ignitus, quin aqua frigescat, aut tepescat. Sic e contra, vix est carbo ita frigidus, qui non acervo carbonum ardentium accendatur. Alias, ubi periculum hujusmodi non imminet, etiam mera simplicitate debes aliorum non videre defectus; aut si videas, per compassionem supportare ut tuos.

De affectibus erga temporalia.

Ut autem utiliter ad temporalia, et aeterna te habeas perfecte, scito quod temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu.

Primo scilicet, ut, tanquam peregrinus, et advena, sentias omnia ut extranea, et aliena : in tantum, ut tua vestis tuo sit sensui ita extranea, ac si esset in Hispania, vel in India.

Secundo, ut in tuo usu abundantiam timeas ut venenum, et ut mare submergens.

Tertio, ut in tuo usu omnem inopiam et egestatem sentias : quia ipsa est scala, per quam ascenditur ad coelestes divitias, et aeternas.

Quarto, ut societatem, contubernium, et ap-

paratum divitum, et magnatum fugias, non tamen ex contemptu; et de societate pauperum glorieris; et in memoria, et aspectu, atque conversatione pauperum, et despectorum totus laeteris, quasi in expressa imagine Christi, et eis quasi regibus cum summa alacritate, et jucunditate, et reverentia associeris.

Caput III

De perfectionibus necessariis servienti Deo

Quindecim perfectiones successive proponuntur.

Quindecim sunt perfectiones necessariae personae quae servit Deo in vita spirituali.

Prima est, clara, et perfecta notitia suorum defectuum, et suarum infirmitatum.

Secunda est, magna, et fervens impugnatio contra malas inclinationes, et contra voluntates seu passiones rationi repugnantes.

Tertia est, timor magnus, quem habere debet, quod de offensis hactenus factis contra Deum, non est certus, an bene satisfecerit, nec an cum Deo fecerit pacem [1].

Quarta est, magnus timor, et tremor, qui debet esse in ipso, ne per suam fragilitatem iterum cadat in similia, vel majora peccata.

Quinta est, fortis disciplina, et aspera correc-

1. Eccle. IX, 1.

tio ad regendum suos sensus corporales, et totum suum corpus subjugandum in obsequium Jesu Christi.

Sexta est, fortitudo, et magna patientia in tentationibus, et adversitatibus.

Septima est, vitare viriliter omnem personam, et omnem creaturam aliam, quae impelleret eum, aut esset sibi occasio, non solum ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem vitae spiritualis, sicut unum daemonem infernalem.

Octava est, quod portet in se crucem Christi, quae habet quatuor brachia. Primum est, mortificatio vitiorum. Secundum est, derelictio omnium bonorum temporalium. Tertium, derelictio omnium affectionum carnalium parentum suorum. Quartum, sui ipsius contemptus, et abominatio, et annihilatio.

Nona est, diutissima, et continua recordatio beneficiorum Dei, quae hactenus recepit a Domino Jesu Christo.

Decima est, die ac nocte stare in oratione.

Undecima est, gustare, et sentire de divino dulcore continue [1].

Duodecima est, magnum et fervens desiderium exaltandi nostram fidem : scilicet, quod

[1] Ps. xxxiii, 9

Jesus Christus ab omnibus timeatur, ametur, et cognoscatur.

Tertiadecima est, habere misericordiam, et pietatem in omnibus necessitatibus suo proximo, sicut sibi vellet haberi.

Quartadecima est, regratiari ex toto corde suo in omnibus Deo ; et glorificare, et laudare in omnibus Jesum Christum.

Quintadecima est, quod postquam haec omnia fecerit, sentiat, et dicat : Domine Deus meus Jesu Christe, nihil sum, nihil possum, nihil valeo, et male tibi servio, et in omnibus sum servus inutilis [1].

1. Luc. XVII, 10.

Caput IV

Quaedam praecepta admodum utilia.

1. Praecepta declarantur. 2. De statu virorum Evangelicorum, quem futurum praedicit.

Tres sunt radices evangelicae, et apostolicae paupertatis, seu principales partes :

1. Abdicatio omnis sui juris. 2. Rerum temporalium moderatio, paupertatis usus. 3. Habituatus ad utrumque affectus.

Tres sunt partes abstinentiae, scilicet :

1. Enervatio carnalis amoris, et sollicitudinis sustentationis vitae suae. 2. Non curare de abundantia, vel sufficientia victualium, et deliciarum. 3. Uti parce oblatis.

Tria sunt a nobis singulariter fugienda et metuenda :

Primum, exterior distractio negotiorum. Secundum, interior promotio, et exaltatio. Tertium, temporalium rerum, et carnalium amicitiarum ad se, vel suos amicos, vel suum Ordinem, immoderata, vel inordinata affectio.

Tria sunt a nobis singulariter exercenda, et amplectenda :

Primum, desiderium proprii contemptus, abjectionis, et externae vilificationis. Secundum, viscerosa compassio ad Jesum Christum crucifixum. Tertium, sufferentia persecutionum, et martyriorum pro dilectione cultus nominis Christi, et evangelicae vitae.

Haec tria sunt per quaedam verba extensiva, per horas diei gemitibus et ardentibus suspiriis postulanda.

Tria sunt a nobis singulariter, et quasi assidue meditanda :

Primum, Christus crucifixus, incarnatus [1], etc. Secundum, status Apostolorum, et Fratrum praeteritorum nostri Ordinis, et hoc cum desiderio ut illis conformemur. Tertium, status virorum evangelicorum futurus.

Et hoc debes die noctuque meditari, scilicet, statum pauperrimorum, simplicissimorum et mansuetorum, humilium, abjectorum, caritate ardentissima sibi conjunctorum ; nihil cogitantium aut loquentium, nec sapòrantium, nisi solum Jesum Christum, et hunc crucifixum ; nec

1. Quod fit cum mira efficacia per exercitium sanctissimi Rosarii.

de hoc mundo curantium, suique oblitorum, supernam Dei et beatorum gloriam contemplantium, et ad eam medullitus suspirantium, et ob ipsius amorem semper mortem sperantium, et ad instar Pauli dicentium : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* [1] ; et innumerabiles, ac inaestimabiles thesauros divitiarum coelestium, et super dulces, et mellifluos rivos divitiarum, suavitatum ac jucunditatum, et super omnia mirabiliter expansos, et superinfusos. Et per conversationes imaginari debes eos ipsos, ut cantantes canticum angelicum cum jubilo citharizantium in citharis cordis sui.

Haec imaginatio ducet te, plus quam credi potest, in quoddam impatiens desiderium adventus illorum temporum. Ducet te in quoddam admirabile lumen, amoto omnis dubietatis, ac ignorantiae nubilo ; et limpidissime videbis, et districte discernes omnes defectus istorum temporum, et mysticum ordinem ecclesiasticorum Ordinum productorum, et producendorum ab initio Christi usque ad finem saeculi, et usque ad gloriam summi Dei Jesu Christi : Crucifixum semper portans in corde tuo, ut te ad suam aeternam gloriam perducat. Amen.

1. Phil. 1, 13.

SANCTI VINCENTII FERRERII

ORDINIS PRAEDICATORUM

Tractatus

CONSOLATORIUS

IN TENTATIONIBUS CIRCA FIDEM

PRECES

Tractatus

CONSOLATORIUS

IN TENTATIONIBUS CIRCA FIDEM

PROEMIUM

Contra tentationes, seu scrupulosas cogitationes, quae circa altitudinem Fidei christianae insurgunt in mentibus devotorum, novem mihi pro nunc occurrunt consolatoria juvamenta: tria videlicet, ex quibus fides confirmatur ex parte Regis praesidentis; tria, ex quibus fides consolatur ex parte servi sustinentis; tria, ex quibus fides gloriatur ex parte hostis invadentis.

Caput I

Consolatoria ex parte Dei

Ex parte ergo ipsius Regis nostri Jesu Christi Dei et hominis, primum, ex quo fides catholica in corde hominis merito confirmatur, est potestas infinibilis : quia super omne, quod ab hominibus dici potest, cogitari vel intelligi, Deus omnipotens est ; dicente Apostolo, Ephes. III, 20 : *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis.*

Et ideo cum aliqua scrupulosa cogitatio occurrit menti circa aliquod admirabile mysterium fidei, statim debet inniti divinae Omnipotentiae ; sicut legimus, Lucae, I, 37, quod cum Beata Virgo sollicite quaereret ab Angelo, quomodo manens virgo concipere posset, et parere, mox ipsam ex consideratione divinae omnipotentiae confirmavit, dicens : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hoc modo servus Christi tentationi de admirabilitate fidei sibi occurrenti divinam Omnipotentiam opponat, di-

cens : Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Secundum est veritas infallibilis : quia ipsa prima veritas, quae Deus est, sicut nec ab aliquo falli, ita nec aliquem fallere potest. Cur dicit Richardus de Sancto Victore, in libro de Trinitate : Et ideo cum ipsa Dei veritas incarnata, Christus Dominus, nos mysterium Fidei christianae per seipsum docuerit, certe magna consolationis securitas nobis inest circa fidei documenta, quod nullatenus in ipsis falli possumus, nisi ab illo falleremur, qui omnino nec falli, nec fallere potest. Ideo dicit Augustinus, II de Civitate Dei : Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa Veritas, Dei Filius, homine assumpto, constituit atque fundavit fidem.

Propter quod, fidelissimus christianus contra tentationes circa fidem sibi occurrentes, veritates firmissimas divinae Scripturae opponat : exemplo Christi, qui tentatorem suum non potentia, sed magis sapientia, prolatis divinae Scripturae auctoritatibus, effugavit, ut habetur, Matth. IV ; et ad quemlibet tentationis impulsum dicere potest cum Psalmista : *Veritas Domini manet in aeternum*. Ps. CXVI.

Tertium est bonitas incomprehensibilis : quod, cum Deus non solum sit bonus in seipso, et me-

lior cunctis aliis, verum etiam optimus simpliciter, utpote quia est ipsa tota essentia bonitatis, secundum Dionysium, De divinis nominibus, c. 1, decuit cum opera humanae redemptionis, non solum bene, sed etiam optime perficere : quia, secundum eumdem Dionysium, optimi est optima ducere. Ideo convenientissime, in opere nostrae redemptionis, Deus incarnatus fuit, quia per hoc humana natura in optimo esse, scilicet divino , constituitur. Convenientissime Matrem Virginem intactam conservavit, quia per hoc in optimo castitatis gradu ipsa perficitur. Convenientissime Deus homo pro nobis passus et mortuus fuit, quia per hoc humano generi optimo jure vita aeterna conceditur. Convenientissime etiam Corpus suum in cibum et Sanguinem in potum tradidit, quia per hoc homo optimo spiritualis vitae nutrimento pascitur. Et ita de aliis mysteriis fidei nostrae.

Unde contra scrupulosas fidei imaginationes, quare scilicet sic gestum sit mysterium humanae redemptionis, et non aliter, sic praemuniri debet Christi servus per illud, quod scriptum est de operibus creationis, Genesis, 1 : *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput II

Consolatoria ex parte fidelis.

Ex parte autem servi Dei sustinentis tentationes circa fidem, primum, quod ipsum debet consolari, est, quia per hujusmodi tentationes a culpa purificatur : quoniam plerumque homo de fide tentationibus pulsari permittitur in poenam alicujus praecedentis elationis. Unde, secundum sacros Doctores, ideo Petrus signanter inter Apostolos circa fidem tentationibus pulsatus fuit, quia singulariter supra caeteros de se praesumpsit.

Et ideo devotus Christi servus, sicut patienter, imo laetanter sustinet poenales labores, et afflictiones corporis spe veniae consequendae : sic certe patienter, et laetanter debet sustinere, firmus in fide, laboriosas et afflictissimas pulsationes animi de fide, ut a peccato elationis, quod maxime Domino displicet, emendetur et corrigatur : juxta quod dicitur, I Petri, c. 1 : *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio*

fidei vestrae multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.

Secundum est, quia hoc modo homo in fide fortificatur : quoniam vera fides Christiani tentationibus maxime crescit, et tribulationibus roboratur. Unde legitur, Lucae, 16, quod, cum Apostoli petiissent a Domino : *Adauge nobis fidem*, mox Dominus dans modum agendi, dixit : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare ; et obediet vobis.* Et secundum Gregorium, in libro Moralium, fidem grano sinapis ideo Dominus comparavit, quia sicut granum sinapis quando teritur, tunc virtus ejus sentitur et invalescit, sic vera fides christiani tunc maxime perficitur et convalescit, quando mola tentationis importunius teritur.

Devotus ergo et fidelis servus Christi gaudere debet in Domino, quando firmus in fide, pro ipsa fide tentationibus tribulatur. Ideo dicitur, Jacob. c. 1 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.*

Tertium est, quia in hujusmodi tentationibus in vita nobilitatur : quoniam cum personae spi-

rituales ex divina ordinatione permittantur tentari in hoc mundo juxta eorum virtutem et possibilitatem, ut dicit Apostolus, I Corinth. 10, magnum argumentum est spiritualis virtutis et nobilitatis in homine, cum magnis tentationibus exponitur, cujusmodi sunt tentationes de fide.

Magna ergo materia gaudii et consolationis inest fidelibus Christi, videndo se, exemplo nobilium sanctorum, firmos in fide tentationibus fidei praegravari. Juxta quod dicit Apostolus, Colos. 1 : *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine,* scilicet fidei, *qui eripuit nos de potestate tenebrarum,* scilicet infidelitatis.

Caput III

Consolatoria ex parte hostis.

Ex parte hostis invadentis, gloria verae fidei est : primo, quia per hostem non facile depellitur. Est enim fides, secundum Augustinum super Joannem, fundamentum totius spiritualis aedificii in homine. Et ideo, licet modica pulsatione facta circa hujusmodi spirituale fundamentum spiritualis homo totus timore contremiscat, tamen tanto rarius contingit ruina circa fidem, quanto fundamentum oportet in destructione aedificii ultimum esse. Unde, secundum Doctores Theologiae, licet quolibet peccato mortali amittantur omnes virtutes infusae, tamen fides et spes remanent ; etiam in daemonibus et damnatis, destructis ac annihilatis totaliter cunctis aliis virtutibus, sola fides immobiliter perseverat.

Unde plerumque intentio diaboli, servum Christi de fide pulsantis, non est, ut ipsum in infidelitatis abyssum dejiciat ; sed ut timore et tristitia affectus, dulcedinem spiritus et devotionem orationis perdat, atque contemplationis

studium dimittens, negotiis et occupationibus secularibus implicetur, sicut in Vitis Patrum de multis legitur contigisse; contra id quod dicitur, II Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

Et ideo diligenter caveat servus Christi, ne victus taedio seu molestia hujusmodi tentationum, se occupet, quasi in remedium, actionibus indebitis, aut superfluis, spirituales exercitationes postponendo. Quinimo, quotiescumque in fundamento fidei sentiat se pulsari, firmus semper in proposito spirituali, dicat cum Apostolo, I Corinth. 3: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; id est Christi fides, secundum Glossam. Et est notabile verbum Augustini in libro de fide et operibus, super hoc verbo: Fides christianae gratiae, quae per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit.

Secundo etiam, quia contra hostem fortiter et alacriter erigitur. Quanto enim rarius contingit circa fidem deficere servum Christi, tanto fortius et alacrius sustinendae sunt tentationes de fide.

Unde ipsa magnanimitas et jucunditas mentis in tentationibus hujusmodi, optimus modus est ad vincendum inimicum, secundum quod in

Vitis Patrum legitur, beatum Antonium docuisse discipulos suos. Quia enim, ut dictum est, principalis intentio inimici, hujusmodi tentationes suggerentis, est, servum Christi deducere in cordis tristitiam prae timore, et dulcedinem vitae spiritualis in amaritudinem commutare, certe jam ex magna parte diabolus victus tenetur, quando per servum Christi hujusmodi tentationes alacriter et magnanimiter sustinentur. Et ideo optimum consilium mihi videtur, ut etiam, cum malignus spiritus aliquando a tentationibus hujusmodi inferendis cessat, utique virtute fidei fatigatus, tunc servus Christi animo magnanimus et totus laetus effectus, ipsum ad bellum contemptive et quasi derisorie denuo provocet, cum beato Vincentio dicens : Insurge, miser, et toto malignitatis spiritu debacchare, et videbis, me Dei virtute plus posse dum torqueor, quam possis ipse, qui torques.

Tertio, quia ipsi hosti per fidem turpiter illuditur. Volens enim hostis antiquus servo Christi per hujusmodi tentationes merita vitae spiritualis auferre, ei, contra suam intentionem, coronam gloriae fabricat excellentem. Unde ipse diabolus, velut faber ferrarius, ponit ferrum tentationis in fornace cordis, ut inde fiat catena pedibus devotorum ; sed tamen quando ejus

tentationibus fidei virtute resistitur, per divinam providentiam ipsum ferrum tentationum convertitur in aurum consolationum et meritorum: et catena pedum in coronam capitum, et ipse malignus faber, contra suam intentionem, argentarius, sive aurifex efficitur.

Augustinus, De civitate Dei, 11 : Daemones nobis in multis sunt utiles, dum, nos tentando, coronas fabricant. Legitur etiam in Vitis Patrum, quod cuidam seni ostensum fuit, quod discipulus suus septem pulcherrimas coronas in coelo lucratus fuerat una nocte, eo quod septies fatigatus somno, dormire noluerat. Multo ergo magis quilibet devotus servus Christi gloriosas lucrabitur coronas in coelo, si fatigationes tentationum fidei firmus in fide sustineat, Jacob. 1 : *Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et ideo dicere poterit cum Apostolo, II Timoth. 4 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.*

Praeter haec supra posita remedia, et adjutoria spiritualia circa tentationes de fide, sunt tria alia

generalia adjutoria, scilicet, studiosa lectio, devota oratio, et divina consolatio.

Lectio multum utilis ad nostrum propositum, videtur lectio libri qui intitulatur *Summa de virtutibus* [1], qui incipit : Cum circa utilia studere debeamus, etc.

Oratio etiam ad hoc satis propria mihi videtur, frequentare illum Psalmum : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem*, etc.

Consolatio autem spiritualis a Deo liberaliter cunctis ad se confugientibus infunditur. Est enim ipse, ut dicitur, II Corinth. 1, *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione*. Amen. Deo gratias.

ANNOTATIO EDITORIS

Quod ad orationem attinet, optimum erit, si post illum Psalmum, quaedam ecclesiasticae, vel aliae, preces addantur, quae nominatim Fidem a Domino postulant, quales sunt quae sequuntur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei, aeternae

1. Opus Guillelmi Peraldi, Ordinis Praedicatorum, qui fuit Divi Thomae synchronus.

Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem : quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis : Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Huic addi poterit sequens, quam unus ex nostris composuit :

Omnipotens sempiterne Deus, cujus excellentissimo dono, omnes, qui mundi origine Sancti fuere, catholicam fidem obtinuerunt : ita ut eam beati Patriarchae plantaverint, Prophetae rigaverint, Beatissima Dei Genitrix inconcussam perpetuo conservaverit, Apostoli annuntiaverint, Martyres defenderint, Doctores explicaverint, Confessores glorificaverint, et Virgines illustraverint : quaesumus, ut Beatissimae semper Virginis Mariae, et omnium Sanctorum atque Sanctarum, tecum in coelo regnantium, meritis, sanctae Romanae Ecclesiae fidem, nobis per Baptismum plantatam, per Confirmationem rigatam, ac per Ecclesiae magisterium annuntiatam, defendas, explices, et glorifices, ac bonis operibus usque ad mortem illustres. Per Dominum, etc.

PRECES

SANCTI VINCENTII FERRERII

ORATIO

Ad vitae perfectionem obtinendam.

Bone Jesu, fac ut totis medullis amem te, summe timeam, reverear, et pro omni honore tuo fortissime zeler; ita quod omne tuum opprobrium, tanquam tuae gloriae zelotypus, vehementissime exhorrescam, et potissime, si in me, aut a me, vel pro me, facta tibi sint opprobria ulla. Da etiam, ut te Dominum, tanquam tua creatura, humiliter adorem et recognoscam, et de omnibus beneficiis a te mihi impensis gratias semper agam, et hoc cum summa gratitudine cordis. Da etiam, ut in omnibus semper te benedicam, laudem et magnificem, et hoc cum summo jubilo et tripudio cordis; et tibi in omnibus obtemperans et obediens, semper reficiar dulcissima tua et ineffabili suavitate, cum sanctis tuis ange-

lis et apostolis tuae mensae assistens, licet omnino indignus et ingratus. Qui cum Patre, etc.

Hanc ignitam orationem habemus in Tractatu de vita spirituali.

ORATIO

Qua ad sanandos aegros sanctus Vincentius utebatur.

Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur : Super aegros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Mariae Filius, mundi salus, et Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te in ea conservet, et beatum faciat, et ab hac infirmitate liberare dignetur. Amen.

Haec oratio ad sanandos aegros traditur a Laurentio Surio Carthusiano, Joanne Flaminio, Petro Ranzano, et aliis multis qui sacram Vincentii historiam conscripserunt. Eadem quoque in depellendis morbis utebatur sanctus Ludovicus Bertrandus.

ORATIO

Contra epidemiam et alias hujus vitae calamitates.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo me defendat. Jesus

Nazarenus Rex Judaeorum (titulus triumphalis), miserere nobis. Per signum sanctae Crucis, et per merita gloriosae semperque Virginis Mariae matris tuae, Dominae nostrae, et sanctorum Martyrum et Confessorum tuorum, Fabiani, Sebastiani, Nicasii, Anastasiae, Martini, Rochi, Cosmae et Damiani, ab inimicis nostris, et ab omni peste, morbo, epidemia, et a morte subitanea atque aeterna, libera nos, Domine Jesu Christe, Deus noster.

Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, et Misericors Salvator noster, miserere nobis.

Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.

Haec oratio contra epidemiam, variis locis atque temporibus, fuit excusa.

Orationes contra fulgura.

In sermone secundo Rogationum, monet sanctus Vincentius ut adversus fulgura, tonitrua et fulmina, aliquam ex his quatuor orationibus recitemus :

Prima est Litaniae Sanctorum. Secunda Symbolum sancti Athanasii, quod incipit : Quicumque vult salvus esse, etc. ; facto signo crucis contra nubes in quolibet versu. Additque hoc esse remedium praesentissimum. Tertia est Symbolum fidei, quod incipit : Credo in Deum, etc. ; crucis etiam signo in quovis articulo adversus tempestatem opposito. Quarta est Sacri Jesus Nominis trina, flexis genibus, invocatio ; crucis vexilla contra turbinem imprimendo.

ORATIO

Ad innumera damna vitanda, Deique auxilium impetrandum.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae, propter nomen suum.

Nam, et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus : ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu tuo mensam, adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum : et calix meus inebrians quam praeclarus est !

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae :

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Asserit sanctus Vincentius, ad innumera animi et corporis damna vitanda, Deique auxilium implorandum et impetrandum, multum prodesse hunc Psalmum vigesimum secundum. Quod si

nec legere scimus, nec memoria valemus, monet ut scriptum saltem deferamus.

ORATIO

Quam Divus Vincentius injungebat mulieribus concipere desiderantibus.

Pater noster. Ave Maria. Credo. *Postea* :

Beati omnes, qui timent Dominum : qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion : et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum ; pacem super Israel (Ps. CXXVII).

Gloria Patri, etc.

Habetur in tabulis Canonizationis, folio ducentesimo septuagesimo. Ubi episcopus quidam jurejurando confirmat, plurimas steriles mulieres, ejus frequenti usu, prolem, benedicente Do-

mino, edidisse; nominatim autem id refert de Ducissa Britaniae. Injungebat Divus, ut illam mane et sero recitarent, aut ab alio recitari facerent. Aliam vero precationem ad idem obtinendum tradit Diva Birgita, Lib. VI, c. 104.

ORATIO

Ad Angelum Custodem.

O Angele, qui meus es custos, pietate superna me tibi commissum serva, defende, guberna.

Refertur ab eodem Divo Vincentio in sermone de sancto Michaele Archangelo sub finem.

ORATIO

Ad felicem obitum a Domino impetrandum.

Miserere mei, et exaudi orationem meam. (Ps. IV.)

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. (Ps. VI.)

Miserere mei, Domine : vide humilitatem meam de inimicis meis. (Ps. IX.)

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. (Ps. XXX.)

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, (Ps. L.)

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me. (Ps. LV.)

Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. (Ps. LVI)

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. (Ps. LXXXV.)

Miserere nostri, Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione. (Ps. CXXII.)

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui vivis et regnas per saecula saeculorum. Amen.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui neminem vis perire, et cui nunquam sine spe misericordiae supplicatur : dixisti enim ore tuo sancto et benedicto : Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis : precor te, propter nomen sanctum tuum, ut in articulo mortis meae, des mihi integritatem sensus cum loquela : vehementem cordis contritionem de peccatis meis : veram fidem, spem ordinatam, caritatem perfectam ; ut tibi puro corde dicere valeam : In manus tuas, Do-

mine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis : qui es benedictus et gloriosus in saecula saeculorum. Amen.

Haec oratio ad felicem obitum impetrandum, collecta ex novem versiculis ab hac voce *Miserere*, in toto Psalterio incipentibus, reperta in vetustis codicibus manuscriptis Vicensis episcopatus, authentice conscripta est manu Jacobi de Encontra Apostolica regiaque auctoritatibus publici Notarii. Et ibi refertur, anno millesimo quadringentesimo nono, feria v^ quatuor temporum Decembris, Venerabilem Magistrum Vincentium Ferrerium concionatum fuisse, et illas preces vehementer populo commendasse.

PROTESTATIO SANCTI VINCENTII

Pro hora mortis.

O Domine Jesu Christe, ego, quamvis indignus et miser peccator, firmiter et puro corde et ore ad plenum confiteor sanctam fidem catholicam, et omnes ejus articulos, sicut alma mater Ecclesia Romana praedicat, docet et tenet. Sed cum multa, Domine, occurrant pericula, et varia tentamenta, si forsan (quod absit), occasione ipsorum, aut in articulo mortis, aut alias, per alienationem intellectus, ab ipsa sancta fide deviarem, aut alicui peccato consentirem ; protestor nunc, pro tunc, et e contra, coram tua sanctis-

sima Majestate, et tua gloriosissima Matre Maria, sancto Angelo meo custode, et Patre meo divo Dominico, et omnibus sanctis, quod in hac sancta fide catholica, et in plenitudine fervoris ejusdem fidei in sinu sacrosanctae matris Ecclesiae matris meae, quae nescit claudere gremium redeunti ad se, volo semper vivere et mori. Amen.

BEATI ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI

ORDINIS PRAEDICATORUM

De Perfectione

VITAE SPIRITUALIS

SEU

DE ADHAERENDO DEO

LIBELLUS

Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Ps LXXII, 28

DE

Adhaerendo Deo

NUDATO INTELLECTU ET AFFECTU

Caput I

De adhaerendo Deo nudato intellectu et affectu, seu de ultima et summa perfectione hominis, quantum in hac vita possibile est.

Cogitavi mihi aliquid ultimate, (in quantum possibile est in hujus exilii, et peregrinationis immoratione) depingere, scriptitando de et super ab omnibus plena, et possibili abstractione, et cum solo Domino Deo expedita, secura, et nuda firmaque adhaesione : praesertim, cum ipsius christianae perfectionis finis, sit caritas, qua Domino Deo adhaeretur.

Ad quam quidem adhaesionem caritativam

omnis homo, de necessitate salutis, tenetur; quod fit, praeceptorum observantia, et divinae voluntatis conformitate : quorum observantia excludit omne quod repugnat caritatis essentiae, et habitui, cujusmodi sunt peccata mortalia.

Religiosi vero adstrinxerunt se etiam ad Evangelicam perfectionem, atque ad ea, quae supererogationis et consilii sunt, per quae expeditius ad ultimum finem, qui Deus est, pervenitur : per quorum observantiam, excluduntur ea etiam, quae impediunt actum, seu fervorem caritatis, quo minus possit quis in Dominum Deum ferri ; cujusmodi sunt, abrenunciatio omnium rerum, corporis insuper, et animae, professionis duntaxat voto accepto.

Quoniam quidem *spiritus* cum sit Dominus *Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare* [1] : id est, cognitione, et amore, intellectu, et affectu ab omnibus phantasmatibus nudis.

Hinc est et illud Matth. 6 : *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum* [2], id est, cordis tui intima : *et clauso ostio,* scilicet sensuum tuorum,

1. Joan. IV, 24
2. Matth. VI, 6.

inibi corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta *ora Patrem tuum* in spiritu, et veritate *in absconso*.

Quod tunc congrue fit, cum homo ab omnibus aliis fuerit exoccupatus, et exutus, et totus intra se receptus; ubi, universis et singulis exclusis, et oblitis, coram Jesu Christo, tacito ore, sola mens desideria sua secure Domino Deo suo fiducialiter pandit; ac, per hoc, toto cordis et amoris affectu, se in eum intimissimis medullis omnium virium suarum sincerissime, ac plenissime diffundit, et immergit, dilatat et inflammat, et resolvit in se.

Caput II

Qualiter quis, omnibus aliis spretis, soli Christo inhaereat et intendat.

Verumtamen quicumque talem statum aggredi et ingredi desiderat, et satagit, opus est omnino, ut, velut clausis oculis et sensibus, de nulla re se penitus implicet, aut perturbet, sollicitus sit, aut curet: sed cuncta, tanquam impertinentia, et noxia, ac perniciosa, funditus excutiat; deinde, se totum intra se recipiat, nec aliud unquam objectum inibi mente attendat, quam solum Jesum Christum vulneratum; sicque, per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis suae, sedulo, et obnixe intendat; ibique se, suaque singula, ac cuncta, indiscusse, suae infatigabili providentiae committat expedite, et secure, juxta illud Petri: *Omnem sollicitudinem projicientes in eum* [1], qui potest omnia. Et iterum: *Nihil solliciti sitis* [2]. Et rursus: *Jacta cogitatum tuum in Dominum, et*

1. 1. Petr. v, 7.
2. Philip. iv, 6.

ipse te enutriet[1]. Et iterum : *Mihi adhaerere Deo, bonum est*[2]. Et : *Providebam Dominum in conspectu meo semper*. Et Sponsa in Canticis : *Inveni quem diligit anima mea*[3] ; quippe *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*[4].

Nempe hic est thesaurus ille coelestis absconditus, nec non margarita pretiosa, quae, prae omnibus comparata, fiducia humili, conatu instantissimo, taciturnitate tranquilla, etiam usque ad corporalis commodi, laudis, vel honoris jacturam, in fortitudine spiritus quaeritur.

Alioquin quid proficit Religiosus, si totum mundum lucretur, et animae suae detrimentum patiatur? Aut quid relevat status, professionis sanctitas, perfectionis habitus, tonsura, et exterioris dispositio conversationis, sine vita in spiritu humilitatis et veritatis, ubi Christus habitat per fidem caritate formatam? Hinc est illud Lucae 17 : *Regnum Dei intra vos est*[5], quod est Christus Jesus.

1. Ps. LIV, 23.
2. Ps. LXXII, 28.
3. Cant III, 4.
4. Sap. VII, 11.
5. Luc. XVII, 21.

Caput III

Quae sit conformitas perfectionis hominis in hac vita.

Porro quanto plus mens sollicita est ad ista inferiora, et humana cogitanda, et tractanda, tanto plus a superioribus, et coelestibus per devotionis intima elongatur : et quanto ferventius ab inferiorum memoria, affectu, et intellectu ad superiora sensus colligitur, tanto perfectior erit oratio, et purior contemplatio : quia simul perfecte non potest esse utrisque intenta, quae sicut lux et tenebrae sunt divisa. Quippe qui Deo adhaeret, versatur in lumine ; qui vero mundo adhaeret, in tenebris est.

Qua ex re, est hominis in hac vita sublimior perfectio : ita Deo uniri, ut tota anima, cum omnibus potentiis suis, et viribus in Dominum Deum suum sit collecta, ut unus fiat spiritus cum eo, et nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat, vel intelligat nisi Deum, et omnes affectiones in amoris gaudio unitae, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant.

Imago enim Dei in his tribus potentiis in

anima expressa consistit, videlicet, ratione, memoria, et voluntate. Et quandiu illae, ex toto, Deo impressae non sunt, non est anima deiformis, juxta primariam animae creationem.

Forma nempe animae Deus est, cui debet imprimi, sicut cera sigillo, et signatum signo signatur. Hoc autem nunquam plene fit, nisi cum ratio perfecte juxta capacitatem suam, illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas; et voluntas perfecte afficitur ad amandam summam bonitatem; et memoria plene absorbetur ad intuendum, et fruendum aeterna felicitate, et ad suaviter, et delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quae perficietur in patria, liquet, quod istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.

Caput IV

Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu et non in sensibus.

Felix ergo, qui per abstersionem continuam phantasmatum, et imaginum, ac per introversionem, et inibi per sursumductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliviscitur phantasmatum quodammodo; ac per hoc, consequenter operatur interius nudo, ac simplici, ac puro intellectu, et affectu, circa objectum simplicissimum, Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines, ac formas rerum omnium citra Deum a mente rejicias: ut in solo nudo intellectu et affectu, ac voluntate, tuum pendeat exercitium circa Deum intra te.

Nempe finis omnium exercitiorum hic est, scilicet, intendere, et quiescere in Domino Deo intra te, per purissimum intellectum, et devotissimum affectum, sine phantasmatibus, et implicationibus.

Hujusmodi autem exercitium non fit in organis carneis, et sensibus exterioribus, sed per quod quis homo est: homo vero quis est intellectu, et

affectu. Et idcirco quandiu homo cum phantasmatibus, et sensibus ludit, et eis insistit, videtur nondum exisse motus, et limites bestialitatis suae, hoc est, illius quod cum bestiis habet commune. Quia illae per phantasmata, et per tales sensitivas seu sensibiles species cognoscunt, et afficiuntur, et non aliter, eo quod altiorem vim animae non habeant. Secus est de homine, secundum intellectum, et affectum, et liberum arbitrium ad Dei imaginem et similitudinem creato, quibus debet Deo immediate, pure, et nude imprimi, et uniri, firmiterque inhaerere.

Quamobrem diabolus diligentissime, et maxime conatur impedire illud exercitium, quantum potest, ex quo est quodammodo praeambulum, et initium vitae aeternae ; invidens super hoc homini. Idcirco nititur semper mentem hominis alienare a Domino Deo, nunc per istas, nunc per illas tentationes, seu passiones : nunc sollicitudine superflua, et cura indiscreta : nunc turbatione, et conversatione dissoluta, curiositateque irrationabili : nunc per studia librorum subtilium, colloquia aliena, rumores, et novitatem : nunc per aspera, nunc per contraria etc.

Quae, etsi nonnunquam levia, et tanquam nulla videantur peccata, tamen magna sunt impedimenta hujus sancti exercitii, et operis. Et

ideo, etiamsi utilia, et necessaria visa fuerint, sive magna, sive parva, ut noxia, et perniciosa illico sunt rejicienda penitus, et a sensibus propellenda.

Summopere igitur necessarium est, ut audita, visa, facta, et dicta, et caetera similia sine phantasmatibus, imaginibus, et occupationibus recipiantur, nec etiam ex consequenti, vel antea, vel tunc super hoc phantasmata, et implicationes formentur, et nutriantur. Et ita quando phantasma non venit ad memoriam, et mentem, tunc non impedit hominem, sive in oratione, meditatione et psalmodia, sive in alia quacumque operatione, et exercitatione spirituali, nec rursum iterato occurret ei.

Et sic expedite secureque te totum, etiam plene omnia et singula committe infallibili, et certissimae divinae providentiae cum silentio, et quiete; et ipse pugnabit pro te: et melius, honestius, ac dulcius liberabit te, et consolabitur, quam si tu semper die, noctuque de hoc continue phantasiareris, et vana vagaque ac captiva mente fatue sic et sic, hinc et inde discurreres errabundus; necnon mente et corde deficiens, tempus perderes, et vires stulte, ac irrationabiliter consumeres.

Cuncta ergo, et singula, undecumque et qua

litercumque occurrentia ortum habeant, sic accipe cum taciturnitate et tranquillitate, aequanimiter, quemadmodum de manu paternae divinaeque providentiae tibi venirent.

Nuda igitur te a phantasmatibus omnibus rerum corporearum, juxta tui status, et professionis exigentiam : ut nuda mente, et sincere inhaereas ei, cui te multipliciter, et totaliter devovisti ; ut nihil quodammodo possibile sit medii inter animam tuam, et ipsum, ut pure, fixeque fluere possis a vulneribus humanitatis in lumen suae divinitatis.

Caput V

De cordis puritate, quae est prae omnibus sectanda.

Si igitur recto, et securo tramite, ac breviter ad finem beatitudinis viae et patriae, gratiae et gloriae, pervenire desideras et satagis, tunc interna mente sedulo aspira ad perpetuam cordis munditiam, et puritatem mentis, ac sensuum tranquillitatem : atque cordis affectum recollige, et jugiter defige sursum in Dominum Deum. Et inter haec, abstrahe te a familiaribus tuis, et ab omnibus hominibus, in quantum in te est, et negotiis hujusmodi propositum tuum impedientibus ; semper captans opportunitatem, ubi, et quando possis locum, tempus, et modum reperire quietis, ac contemplationis, carpens silentii secreta ; praesentisque sacculi vitare naufragia, nec non perstrepentis mundi fugere perturbationes.

Qua de re, omni tempore, puritati, munditiae, et quieti cordis principaliter stude : ut videlicet continue, velut clausis carnalibus sensibus, in temetipsum convertaris, et cordis ostia a formis

et phantasmatibus sensibilium, et imaginationibus terrenorum, quantum possibile est, habeas diligenter serata.

Nempe cordis puritas inter omnia exercitia spiritualia quodammodo, (tanquam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quam in hac vita spiritualis quisque et vere religiosus recipere consuevit), sibi vendicat principatum.

Idcirco cor tuum, sensus, et affectum, cum omni diligentia, solertia, et conatu, absolvas ab his omnibus, quae libertatem ipsius possent impedire; insuper ab omni re mundi, possibilitatem habente alligandi, et vinciendi te.

Sicque cunctas dispersiones cordis, et affectiones mentis in unum verum, simplex, et principalissimum bonum recolligere, et intra te tanquam in uno loco recollectas habere, agoniza; ac per hoc, rebus divinis Deoque mente semper inhaerere, atque, derelicta fragilitate terrena, cor ad superna ex intimis tuis in Jesu Christo jugiter transformare conaris.

Quapropter si incipis te mudare, et purificare a phantasmatibus et imaginibus, et simplificare, et tranquillare fiducialiter in Domino Deo cor tuum, et mentem tuam, ut haurias, et sentias fontem divini beneplaciti in omnibus interioribus tuis, et per bonam voluntatem sis Deo unitus in

intellectu ; sufficit tibi hoc, pro omni studio, et lectione sacrae Scripturae, et ad dilectionem Dei, et proximi, ut unctio docet.

Omni igitur studio, conatu, et labore simplifica cor tuum, ut a phantasmatibus immobilis, et tranquillus convertaris, et stes in Domino semper intra te, tanquam si anima tua sit in illo Nunc aeternitatis, id est, divinitatis ; taliter scilicet, ut amore Jesu Christi de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta, teipsum deseras, et totum te Deo in omni tribulatione, et eventu, totaliter plene committas, ejusque voluntati, et beneplacito parere semper et patienter affectes.

Quod ut fiat, necesse est, ut frequenter ad cor redeas, et in eo persistas, et ab omnibus, quantum possibile est, teipsum absolveas : mentis oculum semper in puritate et tranquillitate custodias : intellectum a phantasmatibus, et formis rerum infimarum praeserves : voluntatis affectum a curis terrenorum penitus absolvas, et summo vero bono, amore fervido radicitus inhaereas : memoriam quoque jugiter habeas sursum elevatam, et in ipso eodem vero summo bono, ac solo essentiali, et increato firmiter stabilitam : ita duntaxat, ut tota anima, cum omnibus potentiis et viribus suis in Deum recollecta, unus fiat spi-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ritus cum eo; in quo summa perfectio viae consistere cognoscitur.

Haec vero unitas spiritus et amoris est, quo homo omnibus votis supernae et aeternae voluntati conformis efficitur, ut sit per gratiam, quod Deus est per naturam.

Interea animadvertendum, quod, in eo ipso momento, quo quis suam Dei auxilio potest vincere voluntatem, id est, inordinatum amorem aut zelum a se ipso abjicere, sic scilicet, ut Domino Deo de omni sua necessitate audeat plane totaliter confidere; hoc ipso facto, in tantum Deo complacet, ut suam ei gratiam largiatur; et per ipsam gratiam, veram sentiat caritatem, et dilectionem, omnem ambiguitatem, et timorem expellentem, in Deoque confidenter sperantem. Itaque nihil beatius esse potest, quam omnia in illo ponere, in quo nullus est defectus.

Proinde quandiu stas in te, et non stas; projice te totum in Deum secure, et suscipiet te, sanabit, et salvabit te.

Haec si continue intra te veraciter revolveris, plus tibi ad beatam vitam conferent, quam omnes divitiae, deliciae, honores, insuper et omnis sapientia, et scientia hujus saeculi fallacis, et corruptibilis mundi, et vitae, etiamsi in his excelleres omnes, qui unquam fuerunt.

Caput VI

Quod adhaerere debet homo devotus Deo, nudato intellectu et affectu.

Et quia quanto magis te nudaveris a phantasmatibus, et implicationibus exterioribus mundanis, et sensibilibus, tanto magis anima tua recuperabit vires, et interiores sensus suos, ut sapiant, ea quae sursum sunt : disce ergo abstinere a phantasmatibus, et imaginibus rerum corporalium ; quia super omnia placet Deo mens nuda ab hujusmodi formis, et speciebus, cujus etiam deliciae sunt esse cum filiis hominum, videlicet qui a talibus occupationibus, et distractionibus, et passionibus tranquilla, pura, et simplici mente sibi intendunt, vacant, et adhaerent.

Alioquin, si in talibus memoria, imaginatio, et cogitatio tua saepe vacat, necesse est, vel rebus novis, vel reliquiis antiquorum deliniri, vel secundum alia objecta varie qualificari. Unde Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu.

Verus itaque Jesu Christi amator, sic debet esse unitus intellectu per bonam voluntatem divinae voluntati, et bonitati, et nudus ab omni-

bus phantasmatibus, et passionibus, ut non advertat, si derideatur, diligatur, vel quidquid sibi inferatur. Voluntas namque bona omnia complet, super omnia est.

Unde si voluntas adsit bona, et Deo in intellectu pure conformis et unita fuerit, non nocet, si caro, et sensualitas, et exterior homo moveatur ad malum, et torpeat ad bonum, aut etiam si interior homo torpet devotionem affectare; sed tantum fide, et bona voluntate adhaerere debet Deo in intellectu nude.

Et hoc facit, si omnem imperfectionem, et nihileitatem suam animadvertat, et cognoscat bonum suum in solo Creatore consistere; et cum suis potentiis ac viribus se, ac cunctas creaturas relinquit, atque ex toto et totum se in Creatorem suum immergit: ita, quod omnes operationes suas dirigit pure ex toto in Dominum Deum suum, nec extra eum quidquam quaerit, in quo percipit invenisse omne bonum, et omnem felicitatem perfectionis.

Et sic transformatur quodammodo in Deum, quod nec cogitare, nec intelligere, nec amare, nec memorare potest, nisi Deum pariter et de Deo: creaturas autem alias, et seipsum, non videt, nisi tantum in Deo, nec diligit nisi solum Deum, nec memoratur de eis, vel de se, nisi in Deo.

Haec vero cognitio veritatis semper facit animam humilem, seipsam, non alium judicantem : sed, e contra, mundana sapientia facit animam superbam, vanam, turgidam, et vento inflatam.

Sit itaque haec spiritualis, et fundamentalis doctrina, quod accedens ad Dei notitiam, servitium, et familiaritatem, et si vis Deum veraciter possidere, necesse est, quod cor tuum denudes omni amore sensibili, non tantum cujuscumque personae, sed etiam cujuscumque creaturae ; ut simplici, ac toto corde, secundum omne tuum posse, tendas in Dominum Deum tuum creatorem, libere, absque omni duplicitate, cura, et sollicitudine, plena fiducia in sola ejus providentia de omnibus.

Caput VII

Qualiter cor sit recolligendum intra se.

Praeterea, sicut dicitur in libro De Spiritu et Anima cap. 21, ascendere ad Deum, hoc est, intrare in seipsum. Qui enim interius intrans, et intrinsecus penetrans, seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit.

Ab hujus ergo mundi distractionibus cor nostrum colligamus, et ad interiora gaudia revocemus, ut aliquando in divinae contemplationis lumine hoc figere valeamus.

Nam haec est vita, et requies cordis nostri : cum in Dei amore per desiderium figitur, et ejus consolatione suaviter reficitur. Sed quod in hujus rei experimentali degustatione multipliciter impedimur, et nequaquam ad ipsum pertingere sufficiamus, ratio in promptu est : quia mens humana, sollicitudinibus distracta, non intrat se, per memoriam ; phantasmatibus obumbrata, non redit ad se, per intellectum ; concupiscentiis illecta, ad seipsam nequaquam revertitur, per desiderium suavitatis internae, et laetitiae spiritualis : ita, totaliter in sensibilibus, et prae-

sentibus jacens, non potest ad se tanquam ad imaginem Dei intrare.

Oportet ergo, et necesse est, ut cum humilitatis reverentia, ac fiducia nimia, mens elevet se supra se et omne creatum per abnegationem omnium, et ut dicat intra se : Quem ex omnibus, et prae omnibus, et super omnia quaero, diligo, appeto, et desidero, non est sensibilis, neque imaginabilis; sed super omne sensibile, et intelligibile : nullo unquam sensu est perceptibilis, sed pleno desiderio totus desiderabilis : non insuper est figurabilis, sed intimo affectu perfectissime appetibilis : non est aestimabilis, sed mundo corde totus affectibilis, quia super omnia amabilis, et delectabilis, infinitaeque bonitatis, et perfectionis.

Et tunc fertur in mentis caliginem, et altius intra se elevatur, et profundius ingreditur. Et hic modus ascendendi usque ad aenigmaticum contuitum sanctissimae Trinitatis in unitate, unitatis in Trinitate, in Jesu Christo, tanto est ardentior, quanto vis ascendens illi est intimior ; et tanto fructuosior, quanto affectu proximior. Quippe in spiritualibus, illa sunt superiora, quae intimiora, quoad experientias spirituales.

Quapropter nunquam desistas, nunquam

quiescas, donec futurae illius plenitudinis aliquas (ut ita dicam) arrhas, seu experientias degustes; et donec divinae suavitatis dulcedinem per quantulascumque primitias obtineas: et in odorem ipsius, post eam currere non desinas, donec videas Deum deorum in Sion.

In spirituali enim profectu, et cum Deo intra te unione, et adhaesione, non quiescas, nec retrocedas, donec assecutus fueris quod intendis.

Exemplum hujus accipe in simili ab ascendentibus montem naturalem. Si enim spiritus noster in his, quae deorsum transeunt, se per cupidinem immerserit, statim per infinitas distractiones, et itinera obliqua rapitur; et a se quodammodo divisus, dissipatur, et quasi in tot spargitur, quot ea sunt, quae per desideria concupiscit. Hinc motus sine stabilitate, cursus sine perventione, labor sine requie.

Si vero cor, et spiritus noster ab hac infimorum infinita distractione, quae deorsum est, per desiderium, et amorem se traxerit; et haec infima deserens paulatim, se intra se in unum immutabile sufficiens bonum colligens, secum esse didicerit, et ei inseparabiliter quodam affectu inhaeserit: tanto amplius in unum colligitur, et fortificatur, quanto magis agnitione, et desiderio sursum elevatur: et in ipso vero summo bono

intra se habituatur, donec tandem omnino immutabilis fiat, et ad illam veram vitam, quae ipse Dominus Deus est, immutabiliter perveniat : ut perpetuo, sine omni mutabilitatis et temporis vicissitudine, requiescat jam in illo intrinseco, et quieto, ac secreto divinitatis manerio ; perfecte collocatus intra se in Christo Jesu, qui est via ad se venientibus, veritas, et vita [1].

1. Joan. XIV, 6.

Caput VIII

Quomodo in quolibet eventu homo devotus se debeat Deo committere.

Credo jam, et arbitror, quod ex hucusque deductis cognoscas, quod quanto magis magisque te nudaveris a phantasmatibus, et omnibus rebus mundialibus, et creatis, ac per bonam voluntatem intellectu Deo unitus fueris, tanto magis ad statum innocentiae, et perfectionis appropinquas. Quo quid melius? quidve felicius, ac jucundius?

Super omnia ergo valet, ut teneas mentem nudam sine phantasmatibus, et imaginibus, et quibuscumque implicationibus; ut nec de mundo, nec de amicis, nec de prosperis, nec de adversis, praesentibus, praeteritis, vel futuris, in te vel in aliis, nec etiam nimis de propriis peccatis solliciteris: sed cum quadam puritatis simplicitate te esse cum Deo extra mundum nude cogita, ac si anima tua jam esset in aeternitate extra corpus separata. Utique non tractaret saecularia, nec curaret de statu mundi, nec de pace, nec de guerra,

nec de sereno, nec de pluvia, et plane nec de aliquo hujus saeculi ; sed soli Deo conformiter totaliter intenderet, vacaret, et inhaereret.

Sic, suo modo, vel nunc relinque corpus tuum, et omnia praesentia, et futura creata ; et defige aciem mentis ac spiritus tui fixe, secundum omne tuum posse, nude, et expedite, in illud increatum lumen. Et sic ab omnibus phantasmatibus, et involutionibus, ac obnubilationibus depuratus sit spiritus tuus, tanquam Angelus corpori alligatus, qui per operationem carnis non impeditur, nec cogitationibus vanis, ac vagis implicatur.

Fortificet ergo se spiritus contra quascunque tentationes, vexationes, injurias, ut aequanimiter inconcusse, in utraque fortuna, perseveret in Deo.

Et cum adest turbatio, aut acedia, vel mentis confusio, non propterea insolescas, aut pusillanimis sis, nec propter hoc curras ad orationes vocales, aut alias consolationes ; sed hoc solum intendas, ut resuscites te per voluntatem bonam in intellectu, ut adhaereas Deo mente, velit nolit sensualitas corporis.

Devota namque anima sic debet esse cum Deo unita, et suam voluntatem divinae voluntati tam conformem habere et facere, quod se cum nulla creatura occupet, seu adhaereat, sicut dum non

erat creata ; ac si nihil sit, praeter solum Deum, et ipsam animam. Et sic universa et singula aequanimiter de manu divinae providentiae secure, et infallibiliter accipiat, sustinens uniformiter in omnibus Dominum in patientia, tranquillitate, et silentio.

Qua de re, nudare mentem ab omnibus phantasmatibus, super omnia valet ad vitam spiritualem, ut sis per bonam voluntatem unitus Deo in intellectu, et conformis.

Praeterea, nihil erit medium inter te, et Deum : quod sic patet, quia nec res aliqua ab extra erit medium, cum per votum voluntariae paupertatis ablata sit omnis rei possessio usque ad ultimum, et per castitatis votum corpus, et per obedientiam voluntas, et ipsa anima ; et sic quodammodo nihil relinquitur, quod mediat inter te, et Deum.

Quod autem Religiosus sis, probat professio ipsa, status tuus, et nunc habitus tuus, et tonsura, et similia hujusmodi : sed an fictus, an verus Religiosus sis, tu videris. Animadverte ergo, quam graviter degeneres, et pecces in Dominum Deum tuum, et in omnem ejus justitiam, si secus egeris, et creaturae potius quam Creatori ipsi voluntate, et amore inhaeseris, creaturam praeponens Creatori.

Caput IX

Contemplatio in Deo, quatenus omnibus aliis exercitiis est praeponenda.

Et quia omnia citra Deum, sunt effectus, et opus ipsius Creatoris, habentia posse et esse, et quidquid sunt et possunt, limitatum ; et, ut ex nihilo producta, nihileitatibus circumdata, et ex se ad nihilum tendentia, necessario momentis singulis suum existere, conservari, operari, et si quid in eis est, a Deo habent, et sic per omnia ab ipso summo opifice Deo recipiunt, tanquam vere ex se ipsis sibi, et aliis insufficientia, ad cujus operationem sunt, sicut nihil ad aliquid, finitum ad infinitum :

Quapropter, in solo eo, et circa eum, et propter eum, et in eum sit omnis recta nostra contemplatio, vita, et operatio : qui etiam uno voluntatis nutu posset, et sciret in infinitum omnibus modo creatis perfectiora producere. Nulla ergo, sive secundum intellectum, sive secundum affectum, contemplatio et amoris fruitio utilior, perfectior, et felicior, quam in ipso Deo Crea-

tore, summo, et vero bono, a quo, in quo, per quem, et ad quem omnia : sibi, et omnibus sufficiens est in infinitum, qui omnium in se continet perfectiones simplicissime ab aeterno, in quo nihil, quod non sit ipse : apud quem,et per quem, omnium instabilium stant causae : in quo omnium mutabilium immutabiles manent origines, necnon omnium rationabilium, irrationabiliumque, atque temporalium in eo sempiternae vivunt rationes : qui omnia complet, universa, singulaque se toto essentialiter implet : cuique rei intimior est, et praesentialior per essentiam, quam res sibi ipsi : in quo omnia simul sunt unita, et in eo sempiterne vivunt.

Praeterea si ex infirmitate, aut inusitatione intellectus, quis magis tenetur in creaturis contemplari, tunc haec optima, vera, et fructuosa contemplatio videtur homini mortali possibilis, ut saltem, in cunctis suis contemplationibus, et meditationibus, sive circa creaturas, sive circa Creatorem fiunt, consurgat delectatio in ipso Creatore, Deo uno et trino intra se, ut inardescat ignis divini amoris, et verae vitae in se, et in aliis, ad meritum felicitatis aeternae vitae.

Animadvertenda est etiam in hoc differentia inter contemplationem Catholicorum fidelium, et Philosophorum gentilium : quia contemplatio

Philosophorum est propter perfectionem contemplantis, et ideo sistit in intellectu, et ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus.

Sed contemplatio Sanctorum, quae est Catholicorum, est propter amorem ipsius, scilicet contemplati Dei : idcirco, non sistit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem.

Unde Sancti, in contemplatione sua, habent amorem Dei tanquam principaliter intentum; quia felicius est etiam Dominum Jesum Christum cognoscere, et habere spiritaliter per gratiam, quam sine gratia corporaliter, vel etiam essentialiter.

Porro, dum anima ab omnibus abstrahitur, et in seipsam reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, et se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum Deum. Ex qua contemplatione, anima inardescit ad bona coelestia, et divina, et ad aeterna; et omnia temporalia a longe prospicit, tanquam nihil sint.

Unde, quando in Deum procedimus per viam remotionis, primo negamus ab eo omnia corporalia, et sensibilia, et imaginabilia; secundo, etiam intelligibilia; ad ultimum, hoc ipsum esse secundum quod in creaturis remanet. Sic, quan-

tum ad statum viae pertinet, optime Deo conjungimur, secundum Dionysium [1].

Et haec est caligo, quam Deus inhabitare dicitur; quam Moyses intravit, ac per hanc ad lucem inaccessibilem. Verum, *non prius quod spirituale, sed quod animale* [2]: ideo consueto ordine procedendum est, a labore actionis ad quietem contemplationis, a virtutibus moralibus ad theoricas, et speculativas.

Denique, o anima mea, quid occuparis circa plurima supervacue, et semper in his eges? Intende, et ama hoc unum optimum bonum, in quo omne bonum; et sufficit. Infelix ergo, qui omnia scit praeter ipsum, et habet, ipsum autem nescit. Et si haec omnia, et ipsum sciat, non propter hoc, sed propter ipsum beatior. Unde Joannes, 17: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te etc.* [3], et Propheta: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* [4].

1. Lib. de mystica Theologia.
2. I Cor. xv, 46.
3. Joan. xvii, 3.
4. Ps. xvi, 15.

Caput X

Actualis devotio, et sensibilis non tantum curanda est, sicut voluntate Deo adhaerere.

Praeterea, non multum cures actualem devotionem, aut sensibilem dulcedinem, vel lacrymas; sed tantum, per bonam voluntatem in intellectu sis mente cum Deo intra te unitus. Quippe super omnia placet Deo mens nuda a phantasmatibus, id est, imaginibus, speciebus, ac similitudinibus rerum creatarum.

Decet namque monachum esse alienum ab omni creatura, ut soli Deo intra se nude, et expedite intendat, vacet, et adhaereat. Quamobrem abneges temetipsum, ut nude sequaris Christum Dominum Deum tuum, qui vere pauper, obediens, castus, humiliatus est, et passus: in cujus etiam vita, et morte multi scandalizati fuerunt, ut liquet ex decursu Evangelii.

Praeterea, anima separata a corpore non advertit, quomodo, aut quid agatur de suo corpore derelicto, sive comburatur, sive suspendatur, sive maledicatur, et nihil propter has injurias

corpori illatas contristatur ; sed solum cogitat, illud Nunc aeternitatis, et illud Unum, quod dicit Dominus in Evangelio necessarium. Sic, et tu, te habeas ad corpus tuum, quasi jam non sis in corpore ; et cogita semper de aeternitate animae tuae in Deo, et dirige sedulo cogitatum tuum in illud Unum, de quo Christus dixit : *Porro unum est necessarium* [1] ; et senties ex hoc magnam gratiam, ad mentis nuditatem, et cordis simplificationem acquirendam.

Verumtamen istud Unum est tibi praesentissimum, si te nudaveris a phantasmatibus, et quibuscumque aliis implicationibus ; moxque senties sic esse, videlicet te nuda, et expedita mente vacare et adhaerere Deo : et sic eris invictus etiam in omnibus qualitercumque inferri possunt, sicut et sancti Martyres, Patres, et electi, beatique omnes : qui, despectis omnibus, solum cogitabant animae securitatem, et aeternitatem in Deo ; et ita armati intus, et per bonam voluntatem Deo uniti, omnia mundi spreverunt, ac si omnino anima jam divisa esset a corpore.

Ex his ergo perpende, quantum potest bona voluntas cum Deo unita, imo per illam animae impressionem in Deo, ut per ejusmodi a carne

1. Luc. x, 42.

virtualem, et spiritualem divisionem, anima quodammodo respiciat a longe hominem exteriorem suum, tanquam non suum ; et sic vilipendit omnia, quae inferuntur sibi, vel carni suae, ac si fierent alteri, vel non homini. *Qui* enim *adhaeret Deo, unus spiritus est* cum eo.

Nunquam ergo audeas omnino, coram Domino Deo tuo intra te aliquid cogitare, vel imaginari, quod coram hominibus erubesceres vel audiri, vel videri ; propter Dei reverentiam principalem. Est etiam hoc justum, omnem tuum cogitatum, et cogitationem ad solum Deum erigere : eumque, tanquam nihil aliud praeter ipsum sit, sola mentis acie intueri, sicque inhaerendo frui, quod est perfecta inchoatio vitae futurae.

ST. ALBERT'S COLLEGE (IRR.)

Caput XI

Qualiter tentationibus sit resistendum, et tribulationes qualiter sustinendae.

Proinde nemo accedens ad Deum vero et integro corde est, quin vexationibus, et tentationibus probetur. Idcirco, in omnibus tentationibus, vel hoc observetur : ut, si sentiatur, non consentiatur ; et patienter, ac aequanimiter cum humilitate, et longanimitate portetur.

Si vero blasphemiae sint, et turpissimae, hoc omnino firmiter teneas, quod nihil melius, aut verius contra easdem facere potes, quam omnino hujus modi phantasias pro nihilo reputare : quanquam blasphemiae nequissimae, et foedissimae, et horribiles sint, solum non cura eas, sed pro nihilo reputa, et contemne, et tibi non imputa, nec velis tibi super hujusmodi conscientiam formare. Fugiet procul dubio inimicus, si eum sic, et suas factiones contempseris. Superbus enim est valde, non patitur se contemni, et sperni.

Omnino ergo talia penitus non curare, sum-

mum est remedium ; sicut de muscis volantibus coram oculis contra voluntatem.

Provideat ergo servus Jesu Christi, tam facile non importune fugere a facie Domini, et hinc inde indignari, murmurare, et querulari super unius muscae vexatione, videlicet levis tentationis, suspicionis, tristitiae, et detractionis, insufficientiae, et cujuscumque adversitatis ; cum, sola manu bonae voluntatis in Deum erectae, possunt omnia haec fugari.

Nempe, per bonam voluntatem, habet homo Deum in possessorem, sanctos Angelos custodes, et protectores. Insuper, et per bonam voluntatem omnis tentatio superatur, sicut musca manu de calvitie capitis fugatur. *Pax* ergo *hominibus bonae voluntatis*.

Proinde ergo nec aliquid ditius offertur Deo bona voluntate. Quippe bona voluntas, in anima, est origo omnium bonorum, et omnium mater virtutum : quam qui habere incipit, secure habet quidquid ei ad bene vivendum opus est.

Si ergo volueris bonum, et non potes, factum Deus compensat.

Igitur, secundum hoc, aeterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit : in beatitudine, aut in miseria, praemium, atque supplicium. Dilectio enim est ma-

gna voluntas Deo serviendi, dulcis affectus Deo placendi, ferventissimum desiderium Deo fruendi.

Demum, tentari non est peccatum, sed materia exercendae virtutis, ut homo ad multa bona proficiat tentatione, cum tota vita hominis super terram tentatio censeatur.

Caput XII

De amore Dei, quam efficax sit.

Enimvero omnia supradicta, et quaecumque saluti necessaria, non melius, nec propinquius, nec salubrius perfici possunt, nisi per amorem : per quem suppleri potest omnis necessarii ad salutem indigentia, et in eo habetur omnis boni abundantia, nec deest summi desiderii praesentia.

Quippe solus amor est, quo convertimur ad Deum, transformamur in Deum, adhaeremus Deo, unimur Deo, ut simus unus spiritus cum eo : et beatificemur hic in gratia, et ibi in gloria, ab eo, et per eum.

Amor enim ipse non quiescit, nisi in amato, quod fit, cum obtinet ipsum possessione plenaria, atque pacifica.

Nempe amor ipse, qui et caritas, est via Dei ad homines, et via hominis ad Deum : et mansionem Deus habere non potest, ubi caritas

non est. Si igitur caritatem habemus, Deum habemus, quia *Deus caritas est* [1].

Proinde nihil amore acutius, nihil subtilius, aut penetrabilius : nec quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetraverit virtutem, et profunditatem, ac totalitatem ; et unum se vult facere cum amato, et si fieri potest, ut hoc idem ipse sit quod amatum. Et ita nullum patitur medium inter se, et objectum dilectum quod amat, quod est Deus, sed vehementer tendit in eum : et ideo nunquam quiescit, donec omnia transeat, et ad ipsum in ipsum veniat.

Est enim amor ipse virtutis unitivae, et transformativae, transformans amantem in amatum, et e contra, ut sit unum amatorum in altero, et e converso, inquantum intimius potest. Quod liquet primo quantum ad vires apprehensivas, qualiter amatum sit in amante : videlicet, in quantum dulciter, et delectabiliter revocatur in apprehensione amantis ; et e regione, prout scilicet amans nititur singula, quae ad amatum pertinent, non superficialiter, sed intrinsecus discernere, et quasi ad interiora ejus ingredi.

Sed quantum ad vires appetitivas, et affectivas, amatum dicitur in amante, prout videlicet est in

1. I Joan. IV, 8.

affectuosa ejus complacentia, et in jucunda ejus delectatione interius radicata : e converso, amans est in amato, toto desiderio, et conformitate secundum idem velle et nolle, et in eodem gaudere et tristari, tanquam idem ipse. Trahit enim amor (*quia fortis est ut mors dilectio* [1]) amantem extra se, et collocat eum in amato, faciens ei intimissime inhaerere. Plus enim est anima ubi amat, quam ubi animat ; quia sic est in amato secundum propriam naturam, rationem et voluntatem : sed in eo quod animat, tantum est secundum quod est forma ; quod etiam brutis convenit.

Non est ergo aliud, quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, et exinde in Jesu Christi intima, et divina trahit, quam amor Christi, quam desiderium dulcedinis Christi, ad sentiendum, percipiendum, et degustandum praesentiam divinitatis Christi. Non itaque aliud est, quam amoris vis, quae etiam animam de terris ad fastigia coeli celsa perducit.

Nec ad summam beatitudinem quis pervenire potest, nisi amore, et desiderio provocante. Ipse enim amor est vita animae, vestis nuptialis, et perfectio ipsius ; in quo omnis lex, et Prophetae,

1. Cant. VIII, 6.

et Domini edictum pendet. Unde Apostolus ad Romanos : *Plenitudo legis est dilectio* [1]. Et prima ad Timotheum : *Finis praecepti est caritas* [2].

1. Rom. XIII, 10.
2. 1 Tim. I, 5.

Caput XIII

Orationis qualitas, et utilitas: et quomodo cor sit recolligendum intra se.

Praeterea, cum ad haec, et ad quaecumque alia bona omnino simus ex nobis insufficientes, nec aliquid de nobis ipsi Domino Deo, (a quo solo omne bonum), exhibere possumus, quod non sit prius suum, solo uno excepto, quod superest, quemadmodum ipse per se benedicto suo ore etiam et exemplo nos instruere dignatus est: ut videlicet, in omni casu, et eventu, ad ipsam orationem recurramus, sicut rei, miseri, pauperes, mendici, infirmi, inopes, subditi, servi, et filii; ac totaliter in nobis ipsis desolati, humillima mentis prostratione, in timore, et amore, recollecte, et composite, maturo, vero, nudoque affectu erubescentiae, cum magnitudine desiderii, et ardore, nec non in gemitu cordis, et simplicitate et sinceritate mentis, supplicemus, et exponamus ipsi, plena cum fiducia, undique nobis imminentia pericula; ita duntaxat, ut expedite, secure, et nude nos ei totaliter usque ad

ultimum fideliter committamus, et offeramus, tanquam vere, et per omnia sui, nihil nobis ipsis reservantes; ut impleatur in nobis illud beati patris Isaac, qui loquitur de hac ipsa oratione, dicens: Tunc erimus unum in Deo, et Dominus Deus erit in nobis omnia in omnibus, et solus, quando illa sua perfecta dilectio, qua prior nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum.

Quod ita fiet, cum nobis omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, denique omnis cogitatio nostra, omneque quod videmus, loquimur, quodque speramus, Deus erit; illaque unitas, quae nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum, mentemque transfusa: ut quemadmodum ille nos sincera, et pura, atque indissolubili caritate diligit, nos quoque ei perpetua, et inseparabili dilectione jungamur: ita scilicet eidem copulati, ut quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, et oramus, Deus sit.

Haec ergo intentio, hic conatus, et finis spiritualis hominis esse debet: ut, imaginem futurae beatitudinis in hoc corruptibili corpore possidere mereatur, et quodammodo arrham illius coelestis beatitudinis, et conversationis, et gloriae incipiat in hoc saeculo praegustare. Hic, inquam, finis

totius perfectionis est : ut, eo usque extenuata mens ab omni situ carnali, ad spiritualia quotidie sublimetur, donec omnis conversatio, omnisque voluntas cordis, una, et jugis efficiatur oratio.

Cumque ita mens, deposita faece terrena, ad Deum, in quo solo semper defixa debet esse intentio spiritualis hominis, respiraverit, (cui ab illo summo bono vel parva separatio, mors praesens, ac perniciosissimus interitus est credendus) ; praemissaque fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, et illi uni summoque bono tenacissima adhaesit intentione, Apostolicum illud implebit : *Sine intermissione orate* [1], *et in omni loco, levantes puras manus, sine ira, et disceptatione* [2]. Hac enim puritate (si dici potest), sensu mentis absorpto, ac de terreno situ ad spiritualem, sive angelicam similitudinem transformato, quidquid in se receperit, quidquid tractaverit, quidquid egerit, purissima, atque sincerissima oratio erit.

Haec proinde si continuaveris indisrupte, quemadmodum usque ab initio disseruimus, erit tibi in tua introversione, et recollectione jam facile, ac promptum contemplari, ac frui, sicut vivere in natura.

1. I Thess. v, 17.
2. I Tim. II, 8.

Caput XIV

Conscientiae attestatio in omni judicio requirenda est.

Demum ad spiritualem mentis perfectionem, puritatem, et tranquillitatem in Deo consequendam, non mediocriter ad hoc proficere videtur, ut, in omni quod de nobis dicitur, sentitur, et agitur, semper tacite ad interiora mentis arcana recurramus; et inibi, ab omnibus aliis abstracti, et intra nos totaliter recollecti, statuamus nos in cognitionem veritatis ante nos: et utique inveniemus, atque videbimus penitus nihil proficere nobis, sed plurimum obesse, si laudati, vel honorati ab extra fuerimus, et ab intra in veritatis cognitione de nobis culpabiles, et rei existimus.

Et sicut tunc nihil prodest, si quempiam ad extra homines laudant, et conscientia ab intra accusat: ita e regione nihil obest, si ab extra quis contemptus, vituperatus, et persecutus fuerit, ab intra tamen innocens, irreprehensibilis, et innoxius existat: imo quam plurimum super haec cum patientia, et silentio, et quiete, non immerito in Domino gratulari habet: siquidem nulla nocebit adversitas, ubi non dominatur ini-

quitas. Et sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Neque cum hypocritis velimus mercedem, et praemium exspectare, vel recipere ab hominibus : sed solum a Domino Deo, non in praesenti, sed in futuro, non transitorio in tempore, sed in aeternitate.

Liquet ergo, quod nec majus aliquid, nec melius, quam semper in omni tribulatione, et eventu ire ad interiora mentis secreta, et ibi invocare ipsum Dominum Jesum Christum, adjutorem in tentationibus, et tribulationibus : ac inibi humiliari in confessione peccati, laudare ipsum Deum et Patrem, corripientem, et consolantem : insuper et omnia, et singula, in se, vel in aliis, prospera, sive adversa, aequanimiter accipere, expedite, et secure, de manu suae infallibilis providentiae, aut dispositionis ordinatione.

Ex quibus sequitur etiam peccatorum remissio, amaritudinis expulsio, collatio dulcedinis, et securitatis, infusio gratiae, et misericordiae, attractio, et corroboratio familiaritatis, atque abundans in ipso consolatio, firmaque adhaesio, et unio.

Sed nec velimus imitari eos, qui per hypocrisim, et more Pharisaico seipsos carius, et aliter videri, haberi, et apparere ab extra coram hominibus satagunt, quam ab intra in veritate de se didicerunt : quod quidem extremae de-

mentiae est, sic videlicet quaerere, appetere, aut expetere laudem humanam, vel gloriam, a se, vel ab aliis, cum nihilominus interius repletus sit illecebris, et peccatis gravissimis. Et certe qui post hujusmodi vanissima currit, fugient ab eo praedicta bona, et dedecus incurret.

Semper ergo prae oculis tuis habeas mala tua, et inidoneitatem tuam, et cognosce te, ut humilieris ; et tanquam peripsema indignissimum, vilissimum, abjectissimumque ab omnibus haberi non refugias, propter gravissima peccata, et maxima mala tua. Qua de re, reputa te inter alios ut scoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oves, satan inter filios Dei.

Sed nec velis revereri ab aliis, aliisque praeferri : imo potius toto corde, et spiritu fuge virus hujus pestilentiae, venenum laudis, reputationem jactantiae, et ostentationis, ne videlicet, juxta Prophetam, laudetur *peccator in desideriis animae suae* [1]. Et Isaiae, tertio : *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* [2]. Et Dominus, Lucae, sexto : *Vae cum benedixerint vobis homines* [3].

1. Ps. IX, (X), 3.
2. Isaiae III, 12.
3. Luc. VI, 26.

Caput XV

Contemptus sui, qualiter causetur in homine, et quam utilis sit.

Proinde quanto quis vilitatis suae cognitor est, tanto plus, et limpidius divinae majestatis est inspector : et quanto aliquis propter Deum, veritatem, et justitiam, sibi ipsi in oculis suis est vilior, tanto in oculis Dei est pretiosior.

Quapropter studeamus, toto desiderii conatu, nos vilissimos reputare, et credere indignos omni beneficio, nobis displicere, soli Deo placere, ab aliis indignissimi, et vilissimi reputari : insuper, super tribulationibus, afflictionibus, et injuriis non moveri, nec super hujusmodi inferentes conturbari, nec cogitationibus contra eos involvi, vel indignari ; sed aequo animo credere velis, te cunctis injuriis, vilipensionibus, flagellis, et derelictionibus esse dignum.

Nam revera, qui vere secundum Deum pœnitet, et luget, ille ab omnibus honorari, ac diligi abhorret, nec subterfugit, nec renuit se quodammódo odiri, conculcari, despici, usque in finem :

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ut vere humilietur, et puro corde soli Domino Deo sincere adhaereat.

Verumtamen ad Dominum Deum solum diligendum, et seipsum super omnia abhorrendum, et ab aliis appetere vilipendi, non requiritur labor extrinsecus, nec corporis valetudo, sed potius solitudo corporis, labor cordis, et quies mentis: ut, scilicet, labore cordis, et affectione mentis intimae surgat, et corporaliter se ab illis infimis evellat, et sic ad coelestia, et divina surgat, et ascendat.

Nempe hoc facientes, mutamus nos in Deum. Et praecipue tunc fit, quando ex corde eligimus, sine judicio, damnatione, et contemptu proximi, nos ut peripsema, et opprobrium ab omnibus aestimari, imo ab omnibus tanquam lutum foedum abhorreri, quam quibuscumque deliciis abundare, vel ab hominibus honorari, aut elevari, seu qualicumque corporali et transitoria sospitate, vel commodo perfrui; nec aliam praesentis hujus mortalitatis, et corporalis vitae consolationem desiderare, quam nostras offensiones, culpas, et peccata sine intermissione lugere, deplangere, et plorare, perfecte nos vilipendere, et annihilare, et de die in diem ab aliis magis magisque viliores haberi, et in omni vilitate indigni in nostris oculis quotidie fieri: ut soli Deo placeamus, eumque

solum diligamus, sicque ei adhaereamus, nec circa aliquid velimus affici, nisi solum circa ipsum Dominum Jesum Christum, qui solus jaceat in nostro affectu ; nec de ullo sollicitari, et curare, nisi de ipso, in cujus ditione, et providentia universa, et singula currunt, et subsistunt.

Non ergo tuum erit amodo deliciari, sed vere toto corde lugere.

Quamobrem, si non luges, propter hoc luge. Si vero luges, propter hoc magis lamentare, quia doloris causam tibi superinduxisti propter tuas offensiones maximas, et peccata infinita. Sicut ergo non sollicitudinem gerit super spiculatorum dispositionem, qui sententiam suscipit condemnatus, sic qui lamentatur, et efficaciter luget, neque deliciis, neque irae, aut gloriae, vel indignationi, vel hujusmodi aliquando attendat. Et sicut alia civium, alia sunt damnatorum habitacula, ita lugentium, et habentium ad pœnam obligantia delicta, statio, et institutio ab innoxiis, et non obligatis aliena penitus debet esse, et remota. Alioquin, non esset differentia rei obnoxii, et innocentis, in compensatione, et satisfactionis poena, quae tamen magna erat in praevaricationibus culpa ; et liberior esset injustitia quam innocentia.

Omnia ergo abneganda, omnia contemnenda, omnia excutienda, et vitanda, ut plena fide bonum luctui poenitentiae jaciatur fundamentum. Igitur in veritate Jesum Christum diligens, et post eum lugens, et eum in corde, et in corpore portans, in veritate dolorem de suis peccatis et offensionibus habens, in veritate futurum regnum percipere inquirens, necnon in vera fide memoriam tormentorum, et judicii aeterni possidens, et sui exitus timorem, et memoriam firmiter perfecteque reassumens : non ulterius conabitur, nec curabit, nec sollicitus erit de aliquo alio. Propter quod, qui ad beatam impassibilitatem, et ad Deum currere festinat, omni die, in qua non maledicitur, et contemnitur, se multum damnum arbitretur sustinuisse. Impassibilitas autem est, a vitiis et passionibus libertas, cordis munditia, et virtutum ornatus.

Aestima igitur te jam mortuum, quem non ambigis de necessitate moriturum. Et postremum argumentum omnium cogitationum, locutionum, operum tuorum, an secundum Deum sint, sit tibi indicium hoc, videlicet, si his magis humilis, et intra te, et in Deo plus recollectus, et confortatus fueris. Si autem aliter in te repereris, suspectum tibi sit, ne non sit secundum Deum, nec sibi acceptum, nec tibi proficuum.

Caput XVI

Providentia Dei, qualiter ad omnia se extendat.

Verumtamen, ut, juxta praefata, sine impedimento, expedite, secure, et nude in Dominum Deum nostrum libere et tranquille feramur, conjungamur, et uniamur, eique firmiter adhaereamus, aequanimiter in prosperis et adversis, in vita, sive in morte; opus est, ut cuncta, et singula indiscussae suae infallibili providentiae indubie committamus, et certissime.

Nec mirum, cum ipse solus sit, qui omnibus dat esse, posse, et operari, id est, substantiam, virtutem, et operationem, speciem, modum, et ordinem in numero, pondere, et mensura. Praesertim, cum sicut opus artis praesupponit opus naturae, ita opus naturae praesupponit opus Dei creantis, conservantis, ordinantis, et administrantis: eo quod ipsius solius sit infinita potentia, sapientia, bonitas, et essentialis misericordia, justitia, et veritas caritasque, immutabilis aeternitas, et immensitas.

Nulla ergo res potest propria virtute subsistere,

nec agere, nisi agat in virtute ipsius Dei, scilicet primi moventis, primi principii, qui est causa omnis actionis, et operatur in omni agente.

Quippe quantum ad rationem ordinis pertinet, Deus immediate omnibus providet, et usque ad ultima singularia. Nihil igitur a maximo usque ad minimum sempiternam Dei providentiam effugit, nec declinat etiam, sive in voluntariis, sive in casualibus, sive in fortuitis nec de se intentis.

Sed nec aliquid Deus facere potest, quin sub ordinem suae providentiae cadat, sicut non potest facere aliquid, quod ejus operationi non subdatur. Extendit igitur se providentia divina ad omnia, et singula, etiam usque ad hominum cogitata.

Qua de re, Scriptura, juxta illud primae Petri, 5 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* [1]. Et rursum Propheta : *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* [2]. Et Ecclesiastici secundo : *Respicite, filii hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis ejus, et derelictus est* [3]. Et Dominus ait : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus* [4]?

1. Petr. v, 7.
2. Ps. liv, 23.
3. Eccli. ii, 11.
4. Matth. vi, 31.

Quidquid ergo, et quantumcumque magnum, a Deo sperare possumus, erimus sine dubio accepturi, secundum illud Deuteronomii : *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit* [1]. Quia quantumcumque desiderare quis poterit, tantum est accepturus : et quatenus fiduciae pedem porrexerit, catenus possidebit. Unde Bernardus : *Auctor omnium Deus tantae abundat visceribus pietatis, ut ad quantamcumque gratiam fiduciae sinum extendere poterimus, tantum erimus sine dubio accepturi.* Unde Marci, 11 : *Quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* [2].

Porro quanto haec fiducia in Deum fortior est, et instantior, et quanto in Deo cum humilitate, et reverentia se violentius erigit, tanto securius, et abundantius, et citius, quod sperabat, impetrabit, ac obtinebit.

At vero, si inter haec, propter multitudinem, et magnitudinem peccatorum, fiducia in Deum se erigere tependo retardat, animadvertat, qui hujusmodi est, quod omnia possibilia sunt apud Deum ; et quod vult, necesse est, quod fiat, et quod non vult, impossibile est, ut fiat ; et quod tam facile est ei, tam innumerabilia peccata,

1. Deut. II, 24.
2. Marc. II, 24.

quantumcumque enormia, remittere, et delere, sicut unum peccatum. Et sicut peccator non potest, quantum in se est, ab innumerabilibus peccatis surgere, et se ab eis excutere, et absolvere, sic nec ab uno peccato. Non enim possumus, non solum facere, sed nec cogitare bonum a nobis, quasi ex nobis; sed hoc ex Deo est[1].

Attamen utique multo periculosius est, pluribus irretitum esse peccatis, caeteris paribus, quam uno solo: quia nullum malum impunitum, et cuique peccato mortali debetur infinita poena; et hoc de rigore justitiae, eo quod quodlibet tale peccatum sit contra Deum, qui est actu infinitae reverentiae, dignitatis, et honorificentiae.

Praeterea, secundum Apostolum, scit Dominus, qui sunt ejus[2]: et impossibile est, aliquem illorum perire inter quoscumque anfractus et fluctus errorum, scandalorum, schismatum, persecutionum, discordiarum, haeresum, tribulationum, adversitatum, atque tentationum qualiumcumque, eo quod numerus electorum suorum, et terminus meritorum sit aeternaliter, et immutabiliter ab eo praevisus; in tantum, ut etiam omnia, bona et mala, propria et aliena, prospera et adversa eis cooperentur in bonum, nisi forte in

1. II Cor. III, 5.
2. II Tim. II, 19.

hoc quod gloriosiores, et probatiores appareant in adversis.

Secure ergo, et expedite, cuncta et singula committamus plena cum fiducia divinae providentiae, quae idcirco permittit mala qualiacumque qualitercumque fieri. Et bonum est, et bene fit, ut sinat ea fieri ; nec fierent, nisi permitteret ea fieri, nec aliter, nec plus fieri possunt, nisi in quantum permittit : quia scit, potest, et vult ea in melius convertere et disponere.

Sicut enim ejus operatione omnia bona fiunt, sic ejus permissione omnia mala, bona fiunt : ut certe ex hoc appareat ejus potentia, sapientia, clementia per reparatorem Christum, misericordia, et justitia, virtus gratiae, et defectus naturae, pulchritudo universi comparatione oppositorum, laus bonorum, reproborum malitia, atque poena. Similiter in peccatore converso, contritio, confessio, et poenitentia, mansuetudo Dei, pietas, et caritas lausque ejus, et bonitas.

Non tamen eis semper cedit in bonum, qui male agunt : sed, ut communiter, in periculum magnum, et maximum malum, privationis scilicet gratiae, et gloriae, et incursionis culpae, et poenae, nonnunquam etiam aeternae, a qua nos custodiat Jesus Christus. Amen.

LUDOVICI BLOSII

Institutio Spiritualis

AD MENTEM TRACTATUS B. ALBERTI

DE UNIONE DIVINA

EX LUDOVICO BLOSIO [1]

Quomodo perficiatur unio mystica

Felix illa anima, quae puritati cordis sanctaeque introversioni jugiter studet, et privato amori, seu propriae voluntati propriaeque quaesitioni prorsus renunciat. Haec enim magis ac magis Deo appropinquare meretur. Tandem vero, superioribus ejus viribus divina gratia sublevatis, clarificatis et exornatis, unitatem nuditatemque spiritus obtinet ; et purum atque indepictum amorem, simplicemque cogitationem (quae cogitationum expers est) adipiscitur.

Jam itaque, cum excellentis indicibilisque gratiae Dei sit capax, ad vivum illum fontem, qui ab aeterno manat, ac sanctorum mentes satis superque reficit, perducitur. Jam vires ejus ad instar stellarum lucent ; et ipsa fit idonea ad contemplandum divinitatis abyssum sereno,

1. Ad mentem tractatus B. Alberti. — Blosius, *Institutio spiritualis.*

simplici et jucundo intuitu, absque imaginatione, et sine aliqua intellectus admixtione. Unde quando sese ad Deum cum amore integre convertit, incomprehensibili luce in fundum ejus effulgente, rationis et intellectus oculus reverberatus, caligat; simplex vero ipsius animae oculus (nempe pura, nuda, uniformis, et supra intellectum elevata cogitatio) manet apertus. Porro, naturali lumine intellectus a tanta claritate obfuscato, anima nihil in tempore aspicit, sed supra tempus et locum erecta, quamdam aeternitatis proprietatem assumit. Nam imagines et distinctionem considerationesque rerum omittens, jam experimento discit, Deum longe transcendere omnes corporales, spirituales atque divinas imagines, et quidquid intellectu apprehendi, quidquid de Deo dici scribive, quidquid nominis ei imponi potest. Clare perspicit, talia omnia a veritate divinae essentiae in infinitum distare; ob idemque eamdem essentiam innominabilem esse. Ignorat tamen quid sit Deus, quem sentit. Hinc praecognitione facta sine cognitione, in solo amabili, nudo, simplici, et ignoto Deo quiescit. Lux quippe divina propter nimiam sui claritatem inaccessibilis est; unde et caligo appellatur.

Suscipit hic anima verbum absconditum,

quod Deus in interno silentio et secreto mentis recessu loquitur. Hoc suscipit : atque unionis mysticae complexum feliciter experitur. Ubi enim intellectum omnesque imagines per amorem excessit, et supra semetipsam evecta est (quod solus Deus ei praestare potest), jam a se defluens, perfluit in Deum ; tuncque Deus pax et fruitio ejus est. Illa ergo in tali mentis excessu posita, jure cantat : In pace in idipsum dormiam et requiescam. Defluit, inquam, amans anima, deficitque a seipsa, et velut ad nihilum redacta, in abyssum aeterni amoris collabitur : ubi, sibi mortua, vivit in Deo, nihil sciens, nihil sentiens praeter amorem, quem gustat. Perdit enim se in vastissima divinitatis solitudine atque caligine : sed sic se perdere, potius se invenire est. Ibi sane quidquid est humanum exuens, et quod est divinum induens, transformatur mutaturque in Deum : sicut ferrum in igne positum formam ignis accipit, et transmutatur in ignem. Manet tamen essentia animae sic Deificatae, quemadmodum ferrum ignitum non desinit esse ferrum. Igitur ipsa anima, quae prius erat frigida, jam ardet ; quae prius erat tenebrosa, jam lucet ; quae prius dura, jam mollis est. Plane tota Dei color est, quia essentia ejus essentia Dei perfusa est. Tota divini amoris igne concremata, totaque

liquefacta, transiit in Deum, et ei sine medio unita, unusque spiritus cum eo effecta est : sicut aurum et aes in unam metalli massam conflantur.

Ceterum illorum, qui in Deum ita excedunt et rapiuntur, diversi gradus sunt; nam eo quisquam profundius atque sublimius in ipsum Deum pertingit, quo efficacius ardentiusque seu amorosius se ad eum convertit, et quo perfectius in ipsa conversione omnem propriam quaesitionem repellit.

O sanctam illam animam! quae, a Deo singulariter visitata, et supra omnia creata supraque propriam operationem elevata, in vi memorativa nudatur omnibus imaginibus, et meram puritatem, atque simplicitatem sentit; in vi intellectiva percipit praefulgidas illuminationes Solis justitiae, et divinam veritatem agnoscit; porro in vi amativa, sentit aestum quemdam quieti amoris, sive contactum Spiritus sancti tanquam fontem vivum, manantem rivulis aeternae suavitatis; atque ita ad excellentem cum Deo unionem invitatur, introduciturque.

O felicem illam horam! Tunc nimirum anima supernaturali jucundissimaque solennitate et gaudio vernantissimo intus perfruitur, ac futuram beatitudinem aliquo modo praegustat.

O quam beatus est, cui fragrantissimum illud ver, et aestas illa amaenissima exoritur, cuique divi nam copulam vel ad momentum experiri con-cessum est! Is enim ad id perducitur, quod nec ratio nec intellectus capere, neque lingua exprimere potest. Per sapientem ignorantiam, et per intimum amoris contactum, melius Deum cognoscit, quam exteriores ejus oculi visibilem solem cognoscant. Usque adeo stabilitur in Deo, ut Deum sibi viciniorem esse sentiat, quam ipse est sibi. Unde et Deiformem superessentialemque vitam jam ducit : factus Christo, secundum spiritum, animam et corpus, conformis. Sive comedat, sive bibat, sive vigilet, sive dormiat, semper in eo Deus operatur, qui superessentialiter vivit in illo. Talem ipse Deus docet de omnibus, et spirituales mysticosque sensus ei aperit. Creberrime, vel etiam indesinenter, eum visitat, adstringit, osculatur, illustrat, accendit, penetrat, et implet. Nam cum anima ejus sit jam speculum clarum sine macula, divino Soli convenienter objectum substratumque, ipse Sol justitiae non potest non assidue stillicidia gratiae, radios sapientiae, et caritatis scintillas in eam diffundere. Valde quidem sublimiter atque mirabiliter Deus se nonnunquam animae perfectae revelat atque manifestat; nondum tamen se os-

tendit sicuti est in sua ineffabili gloria, sed sicut in hac vita videri potest.

Nonnulla monita eo spectantia

Quo pacto anima intime Deo possit uniri. — Porro fieri nequit, ut anima ad intimam istam cum Deo unionem pertingat, nisi tota munda et simplex effecta similitudinem Dei habeat. Ut igitur ipsa Deo uniri mereatur, sese ab omni peccato atque ab omni delectatione liberam (quantum fieri potest) servet, et affectum intellectumque suum ab omni creatura expediat. Oret Deum ut se tam puram mundamque faciat, quam pura ac nuda erat, quando in fonte sacri Baptismatis renata est : sic enim libere refluet in illum. Per profundam humilitatem se semper vilissimam atque indignissimam esse agnoscat, se divinae voluntati penitus subjiciat, et mentem in Deum sublevatam habeat.

Unionem illam impedientia. — Gravia peccata grandisque propriae voluntatis immortificatio nos reddunt Deo multum dissimiles, et sunt velut muri densissimi, quibus a Deo disjungimur. Etiam modicus tenuisque affectus, quo quis mortali creaturae adhaeret, et verbulum otiosum,

aut buccella cibi aliter quam oportuit sumpta, atque aliae hujusmodi minutiores offensae, et inordinationes, non permittunt ut Deus (qui est summa puritas) intime uniatur animae, nisi prius expientur. Denique quaelibet imago vel cogitatio de rebus caducis, sed et cogitatio de angelis, item cogitatio de passione Domini, et quaevis cogitatio intellectualis, hominem in hac mortali vita impedit, quando ad mysticam cum supersubstantiali superintellectualique Deo unionem consurgere vult. Ea ergo hora, hujusmodi sanctae cogitationes atque imagines (quae alias utilissime, et suscipiuntur et retinentur) declinandae relinquendaeque sunt : quia medium aliquod constituunt inter animam et Deum.

Quare asceta ad ipsam unionem pertingere cupiens, mox ut sentit se amore Dei vehementer inflammari ac sursum trahi, rescindat quaslibet imagines, properetque ad Sancta sanctorum, et ad internum illud silentium, in quo non humana, sed divina duntaxat operatio est : ibi quippe Deus est agens, homo vero patiens. Dum enim vires amantis animae silent, et a propria actione quiescunt, atque ab omni imagine liberae sunt, Deus loquitur, ipsasque vires sicut vult afficit, ac nobilissimum opus in anima peragit. Ubi jam asceta praeclarissimam Dei actionem am

plius in se non sentit, tum suam propriam actionem suaque exercitia resumat.

Moderatio servanda. — Praeterea ipse asceta in sua introversione, atque ad Deum conversione, non nimis extendat intellectum suum ; ne, si altius quam oportet volare pertentaverit, extra simplicitatem aberrans, internis tenebris involvatur, ex quibus intolerabiles miseriae, et anxietates oriri solent. Introvertat se simpliciter, oculum intellectus diligenter, et placide deprimens atque excaecans. Violentum etiam impulsum ac nisum prudenter vitet : ne praegravet naturam, et se nimium debilitet. Si tamen non potuerit semper effugere sui afflictionem, nequaquam ob id perturbetur, neque despondeat animum : sed humiliter patienterque hujusmodi calamitatem toleret, suscipiens eam de manu Domini, et eidem illam in laudem aeternam offerens. Quod quidem si fecerit et exercitium sanctae introversionis constanter retinuerit, coelesti manna tandem abunde reficietur, atque aliquando satiabitur. Nonnulli, in fervidis ad Deum aspirationibus se exercentes, grandem saepe cruciatum sentiunt, donec dono Dei et perseveranti consuetudine, eo tandem pertingant, ut sese simpliciter ac facile exercere norint.

Asceta solerter declinare studeat quidquid se-

renitatem et tranquillitatem internam dissipare potest ; ea vero impedimenta, quae vitare nequit, offerat Deo (sicut dictum est) in laudem aeternam.

Quando consolationem aliquam a Deo accipit, et quando singulariter ab eo visitatus, lumineque gratiae perfusus, extra naturale lumen suum rapitur, non plus aequo admiretur id quod sentit, nec insolitis gestibus se tradat. Non scrutetur quid sit, aut quomodo sit Deus. Lucem intus coruscantem radientemque, et saporem se afficientem non discutiat ; sed sinens illa esse quod sunt, absque aliqua investigatione, in solo ignoto et innominabili Deo quiescat.

Divinae visitationis a diabolica discretio. — Ne vero quid suspectum habeat, dum luce consolationeque interna abundantius lactificatur, scire debet, lumen illud, quod in fundo animae lucet, et per quod quis bonitatem Dei propriamque vilitatem agnoscens, in vera humilitate proficit, infundi a Deo, non a maligno spiritu. Ipse quidem angelus tenebrarum potest vanos superbosque homines decipere, confictum lumen ingerendo, et falsam dulcedinem in sanguine vel corde excitando ; caeterum mentem essentiamque animae solus Deus ingredi potest.

Donis Dei non abutendum. — Asceta in donis

ipsius Dei non proprium commodum, sed illius laudem quaerat. Non abutatur eis ad sui oblectationem (nimis enim indignum foret stercus propriae voluptatis cum pretioso divinae gratiae balsamo commiscere) ; quin potius, omnibus donis emortuus, hoc tantum desideret, ut in se Deus delectationem, gaudium, et pacem invenire atque effectu gratissimae voluntatis suae potiri possit. Semper paratus sit carere consolationibus quibus a Deo recreatur. Verumtamen ipsa dona Dei non repellat, neque impediat ; sed humili gratoque animo illa suscipiens, admiretur divinam bonitatem, quae tam indigno talia confert.

Est quidem res excellentissima atque jucundissima, cum Deo intus in unitate spiritus requiescere, non tamen propter hoc alia bona opera relinquenda sunt. Nam apis quandiu in floribus quiescit, neque mel, neque ceram conficit. Et quid juvat, per consolationem divinae visitationis concipere, nisi etiam partus sequatur? Sane perseverans resignatio in languore, sterilitate, obscuritate et paupertate spiritus, Deo gratissima et homini utilissima est. Porro aliqui commodius vacant Deo, et melius contemplationi insistunt sedendo, quam stando, vel flectendo genua. Si asceta interim dum se intus exercet,

evocetur, aut per obedientiam abire cogatur, non hoc indigne ferat, sed prompte hilariterque obediens, sic externa quaeque peragat, ut interna non deserat. Nam semper se abnegare, semper resignatus manere debet, paratus pro Dei voluntate, et pro justa hominum petitione ac necessitate, relinquere consueta sua exercitia. Debet item cavere, ne immoderatae corporis macerationi castigationique pro capitis sui judicio incumbens, gratiae et operationi Dei in se impedimentum praestet,

Anima in Deum immersa quam beata et qualis sit.

Vertex voluntatis. — De ipsa unione divina quae fit in apice mentis, nonnulli patres in hunc fere modum loquuntur : Quando, inquiunt, vertex voluntatis sive supremus affectus amore Dei accenditur, etiam vertex intellectus sive simplex intelligentia de super illustratur. Jamque beata Trinitas se ipsam manifestat : Pater quidem in memoria, per simplicem cogitationis lucem ; Filius vero in intellectu, per claram cognitionem ; et Spiritus sanctus in voluntate, per ardentem amorem. Hinc anima (quae lucidam illam cali-

ginem caliginosamque lucem contemplatur) a seipsa deficiens atque in Deum profluens, unus cum eo spiritus in intimo fundo suo efficitur : et cum aeterno Dei Verbo, quod ibi Pater coelestis profert, generata, nobiliter renovatur, aptaque ad omne bonum opus seu exercitium redditur. Unde, et ipse Deus Pater de illa jam dicit : Haec est filia mea dilecta, in qua mihi complacui.

Recte itaque quidam amicorum Dei animam rationalem sic exhortatur : O anima generosa, serva te puram ac liberam : libertas enim pretiosus thesaurus est. Noli ad multiplicitatem sensuum foras excurrere, sed, cohibitis ipsis sensibus, intus habita. Recipe, inquam, te in fundum tuum ; et ad Deum amorose ardenterque conversa, vel millies per diem in ipsam divinitatis abyssum immergere. Ibi namque increatae beatitudinis notitiam haud dubie adipisceris. Ibi gaudium recipies, quod quidem erit maximum, sed nondum erit perfectum : nam perfectum gaudium, quod nunquam interrumpetur, in sola illa coelesti patria tibi dabitur, ubi Deum indesinenter videbis sicuti est.

Animae in Deum immersae felicitas. — Revera anima in Deum immersa atque absorpta, ultro citroque in divinitate natat, et abundat ineffabili gaudio, quod etiam copiose redun-

dat in corpus; jamque ipsa anima in hoc exsilio vitam aeternam inchoat. Nam cogitationes suas in Deo fixas firmatasque habet, et semper in suam originem proficit, manens jugiter coram Deo. Possidet supernaturalem quamdam spiritus unitatem, in qua velut in proprio habitaculo commoratur: inclinatque se in divinam essentiam usque ad supremam illam unitatem, ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus in ipsius divinae essentiae simplicitate, unum sunt. Conversatur ergo talis anima in coelis, nempe in unius divinitatis tribus personis. Et quando Deo excellenter unitur, jam nihil ei praeteritum, nihil futurum est: sed ipsa aeternum. Nunc tenet, atque in illa incommutabili aeternitate (quae Deus est) habet omnia, et supremum ordinem distinctionemque imaginum seu formarum expertem cognoscit. Sic sic anima, intellectu transcenso, revolat in ideam suam, et principium suum Deum, ibique efficitur lumen in lumine. Tunc sane restinguuntur, et offuscantur lumina omnia naturalia atque infusa, quae infra hoc lumen unquam emicuerunt: non aliter quam ad splendorem fulgentis solis, omne stellarum lumen obtenebratur ac deficit. Nam quando lux increata exoritur, lux creata evanescit. Ergo lux animae creata, in aeternitatis lucem commutatur.

Qui hujusmodi sunt, nimirum qui naturam sensualitatemque suam Dei gratia praeclare vicerunt ac mortificarunt, eis anima jam jam in spiritum transiit atque transformata est : unde ipsi nec prosperis nec adversis vitiose moventur, sed essentiali quadam pace gaudent. Nam neque spes, neque timor, neque gaudium, neque moeror, neque odium, neque amor sensualis et inordinatus, nec aliud quidquam turbulentum in eis durare potest.

Perfecti quantum humiles. — Licet vero isti amabiles homines divino lumine copiose illustrentur, in quo clare cognoscunt quid agere et quid dimittere debeant ; libenter tamen propter Deum aliis sese submittunt, libenter omnibus secundum Deum obtemperant, libenter infimum locum tenent. Propter dona, et multa, et excellentia quae accipiunt, non extolluntur, cum in nihilum suum se profundissime demerserint. Nihil omnino de se sentiunt, scientes Deum operari omnia bona quae faciunt, In vera humilitate filialique timore jugiter permanent, et se servos inutiles esse agnoscunt. Non solum graviora, sed et minima peccata studiosissime (quantum in ipsis est) vitant. Culpas vero et negligentias quas ex fragilitate humana admittunt, sanguine Christi et passione seu meritis ejus semper diluunt atque

expiant. Eis propria instituta et consuetudines quas aliquando assumpserant, decidunt : quia nesciunt aliquod exercitium cum proprietate retinere, cum non sint sui, sed sint Christi.

Ceterum mundo incogniti latent; nec eorum simplicem vereque christianam et ad coelestia erectam conversationem facile quis advertit aut perspectam habet, nisi eamdem cum ipsis gratiam accipiat ; illi enim singulares, et inusitatos modos foris ostendere non solent. Se suaves, et benignos in convictu, omnibusque communes ac sociales exhibent ; ita tamen ut ad peccatum non declinent. Non sunt multum severi, sed sunt clementes, et omnibus miserationis affectum impendunt. Unde verisimile est eos nunquam posse a Deo separari, nisi forte humilitatem (quod absit) desererent.

Qui occulti filii Dei, cum verba humilia proferant, et ita se gerant, quasi nullius momenti essent, plerumque vilipenduntur, etiam ab his qui exterius aliquid sanctitatis habere videntur. Sed et ab illis qui vitam multum rigidam ducunt, quique in austeritate externa secundum propriam voluntatem assumpta potissimum confidunt, nonnunquam despiciuntur, propterea quod ipsi corpusculis suis quietem atque alia necessaria ad honorem Dei rationabiliter concedant, ut

scilicet corpus spiritui melius servire possit. Deus autem plus delectationis in quolibet eorum invenit, quam in multis aliis hominibus, qui sibi intime uniti non sunt.

Pauci occultum animae fundum norunt. — Pauci supra vires suas naturales assurgunt (et certe nullus propria industria per seipsum illas transcendere potest, sed solus Deus hominem perseveranter humiliterque orantem et facientem quod in se est, supra eas evehit) ; pauci supremum affectum, et simplicem intelligentiam, apicemque spiritus, atque occultum animae fundum norunt. Imo vero plerisque vix persuaderi posset, hunc fundum in nobis esse. Ipse enim longe interior sublimiorque est, quam sint tres vires superiores ; nam virium illarum est origo. Omnino simplex, essentialis, atque uniformis est. Itaque in eo non est multiplicitas, sed unitas ; et ipsae tres vires superiores unus sunt. Hic summa est tranquillitas, summumque silentium, quia nunquam aliqua imago huc pertingere potest. Nos secundum hunc fundum (in quo divina latet imago) Deiformes sumus. Idem fundus qui tendit in quamdam abyssum, coelum spiritus dicitur ; nam in eo regnum Dei est, dicente Domino, Regnum Dei intra vos est. Regnum vero Dei, est ipse Deus cum universis divitiis suis. Iste

ergo nudus atque indepictus fundus supra omnia creata, et supra sensus viresque omnes elevatus est, locumque ac tempus excedit, manens perpetua quadam adhaesione in Deo principio suo ; est tamen essentialiter intra nos, quia abyssus animae et intima ejus essentia est. Hic fundus, quem lux increata jugiter irradiat, dum homini aperitur, eique illucescere incipit, valde eum afficit, et allicit.

Unica in Deum perfecta conversio quanti sit momenti. — O nobilem fundum divinumque templum, a quo Deus nunquam recedit ! O fundum praeclarissimum, in quo sancta Trinitas habitat, et in quo ipsa aeternitas gustatur ! Vel una perfecta in hunc fundum ac Deum ipsum conversio, multis aliis exercitiis atque operibus praestantior est, et vel decem pluriumve annorum amissa tempora revocare potest. Nimirum fons aquae salientis in vitam aeternam, in hoc fundo scaturit ; quae quidem aqua tantae efficaciae atque suavitatis est, ut omnem vitiorum amaritudinem facile depellat, facile omnem naturae rebellionem evincat ac superet. Mox enim ut bibita est, per totam animae et corporis regionem diffluit, et miram puritatem miramque fecunditatem utrique praestat.

Non debemus cessare ab oratione, donec ex eo

fonte bibere mereamur. Nam ubi vel unicam ejus guttulam perceperimus, jam res vanas labentesque creaturas sitire non poterimus; sed solum Deum, solum Dei amorem sitiemus. In quo amore quanto amplius creverimus, tanto magis in unione divina proficiemus, et quo perfectius Deo uniti profundiusque in eum immersi fuerimus, hoc clarius eum in ipso et per ipsum cognoscemus; rursum quanto lucidius eum cognoverimus, tanto ardentius diligemus.

Aliqui serius, aliqui citius, ad venam illam aquae vivae pervenientes, supernaturali lumine excellenter illustrantur. Sed et nonnullos Deus celerrime ad perfectionem perducit, quos etiam repente plerumque praeveniens tam valide in se rapit, ut resistere nequeant. Beatus est, qui vel post plurimos annos in continuo labore atque conatu fodiendi transactos, tandem ipsam aquarum viventium venam in fundo animae suae invenire meretur. Non est mirum, si oporteat hominem ante cubiculum Regis aeterni diu excubare diuque pulsare, et expectare, priusquam intro admittatur.

Deus, increata abyssus, spiritum nostrum creatum in se vocare secumque unum facere dignetur, ut ipse spiritus noster, profundissimo

divinitatis mari immersus, feliciter in spiritu Dei se perdat. Hic enim omnium exercitiorum, omniumque scripturarum et praeceptionum scopus ac finis attingitur atque obtinetur. Amen.

INDEX MATERIARIUM

Praefatio 5

TRACTATUS DE VITA SPIRITUALI

Proœmium 11

Pars Prima

De principiis vitae spiritualis.

Caput primum. De paupertate 13
II. De lingua refrenanda et taciturnate . . 16
III. De puritate et munditia cordis 18
IV. De mortificatione voluntatis propriae . . 19
V. De mortificatione amoris privati . . . 23
VI. Quomodo ad unionem divinam anima jam purificata ascendit 28

Pars Secunda

De praxi vitae spiritualis.

Caput primum. Quod per instructorem idoneum citius et facilius ad perfectionem pervenitur . . 33
II. De obedientia servanda 36
III. De modo regulandi corpus, seu de modestia 37
IV. De modo regulandi corpus circa cibum et potum 38
V. De modo standi in mensa 41
VI. De modo perseverandi in sobrietate . . 46

VII. De modo regulandi corpus circa somnum et vigilias 48
VIII. De studio et oratione 51
IX. De Matutinis et aliis horis dicendis . . 55
X. De modo praedicandi 61
XI. Remedia contra tentationes aliquas spirituales 63
XII. Remedia contra aliquas alias tentationes . 69
XIII. De rationibus excitatoriis ad perfectionem 74
XIV. Supradictae rationes quomodo habeant efficaciam 80

PARS TERTIA

Summaria doctrinae spiritualis.

Caput primum. De duobus vitae spiritualis principiis . . 85
II. De affectibus in quibus nos exercere debemus 89
III. De perfectionibus servienti Deo necessariis 95
IV. Quaedam praecepta admodum utilia . . 98

TRACTATUS CONSOLATORIUS IN TENTATIONIBUS CIRCA FIDEM

Caput primum. Consolatoria ex parte Dei 104
II. Consolatoria ex parte fidelis 107
III. Consolatoria ex parte hostis 110

ORATIONES VARIAE

Ad vitae perfectionem obtinendam 116
Ad aegros sanandos 117
Contra epidemiam et alias calamitates 117

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Contra fulgura 118
Ad innumera damna vitanda Deique auxilium impetrandum 119
Pro mulieribus concipere desiderantibus 120
Ad Angelum custodem 121
Ad felicem obitum impetrandum 121
Protestatio pro hora mortis 123

DE PERFECTIONE VITAE SPIRITUALIS SEU ADHAERENDO DEO LIBELLUS

Caput primum. De ultima et summa perfectione hominis, quantum in hac vita possibile est . . 127
II. Qualiter quis, omnibus aliis spretis, soli Christo inhaereat et intendat. . . . 130
III. Quae sit conformitas perfectionis hominis in hac vita. 132
IV. Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu, et non in sensibus . . 134
V. De cordis puritate, quae est prae omnibus sectanda. 138
VI. Quod adhaerere debet homo devotus Deo, nudato intellectu et affectu . . 142
VII. Qualiter cor sit recolligendum intra se. 145
VIII. Quomodo in quolibet eventu homo devotus se debeat Deo committere. . . 149
IX. Contemplatio in Deo, quatenus omnibus aliis exercitiis est praeponenda . . . 152
X. Actualis devotio et sensibilis non tantum curanda est, sicut voluntate Deo adhaerere. 156
XI. Qualiter tentationibus sit resistendum, et tribulationes qualiter sustinendae . 159
XII. De amore Dei, quam efficax sit . . . 162
XIII. Orationis qualitas et utilitas : et quomodo cor sit recolligendum intra se . . 166

XIV. Conscientiae attestatio in omni judicio requirenda est 169
XV. Contemptus sui, qualiter causetur in homine et quam utilis sit 172
XVI. Providentia Dei, qualiter ad omnia se extendat. 176

DE UNIONE DIVINA AD MENTEM TRACTATUS B. ALBERTI, EX L. BLOSIO, O. B. 183

EJUSDEM AUCTORIS

De Theologia ascetica

Directorium asceticum, in quo de eruditione viri spiritualis tutissima sanctorum Doctorum documenta traduntur. In-18.

L'ascétisme dans l'ordre de Saint-Dominique : Les traités de la Vie et Perfection spirituelles de saint Vincent Ferrier et du B. Albert le Grand, traduits et expliqués d'après la doctrine de saint Thomas, en réponse aux erreurs modernes. 2 vol. in-18.

Tome I[er] : *De la Vie Spirituelle.* — Tome II : *De la Perfection Spirituelle.*

La doctrine spirituelle des Saints ou les véritables principes de la vie intérieure. Manuel complet d'ascétisme. Un fort volume in-12.

Traité de la vie spirituelle, de saint Vincent Ferrier, avec de savants commentaires, par la Vénérable Mère Julienne Morell (1617). Nouvelle édition. In-18.

Le Chemin de la perfection, en dix petits traités, par la même, revus et complétés. 2[e] édition. In-12.

Retraite spirituelle, suivie des Exercices préparatoires à la profession religieuse, par la même, revus et complétés. 2[e] édition. In-12.

Traité de la véritable oraison, d'après les principes de saint Thomas, par le R. P. Massoulié ; suivi des *Avis sur les différents états de l'oraison mentale*, par le R. P. J. B. Rousseau, des Frères Prêcheurs. Nouvelle édition (*Sous presse*).

Catechismus theologicus. Compendium theologiæ. In-12, editio quarta.

De præcipuis Ord. Præd. devotionibus

Manuel des Frères et Sœurs du Tiers-Ordre de la Pénitence de saint Dominique. In-32, 4[e] édition.

Vade-Mecum du Tertiaire de Saint-Dominique, contenant l'Office de la Sainte Vierge, suivi des dévotions de l'Ordre pour tous les jours de la semaine. In-32.

Manuel doctrinal et pratique du saint Rosaire. In-18, 3e édition.

Le saint Rosaire. Les Encycliques de S. S. Léon XIII, suivies de nombreux documents pour lectures et prédications sur le Rosaire. In-18.

Manuel de dévotion à saint Dominique. Etude pratique sur la vie intime et les vertus du Saint, suivie de son office et plusieurs exercices en son honneur. In-18.

Le même, traduit en allemand par le T. R. P. Scheer, Provincial d'Ecosse et *Socius* du Rme Maître Général.

Officium parvum S. Thomæ Aquinatis, à Sacra Rituum Congreg. approbatum, aliaque spiritualia exercitia in usum studentium sub Angelici Doctoris patrocinio pie viventium.

De Ord. Præd. historia

Intérieur d'un cloître dominicain. Le monastère des Dominicaines de Sainte-Praxède, à Avignon. Sa chronique (1347-1792), les vies d'un grand nombre de religieuses et l'historique de ses seize fondations. Un fort volume in-12.

La Vénérable Mère Julienne Morell, dominicaine (1594-1653). Sa vie, sa doctrine spirituelle, son institut. In-12, avec portrait.

De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes, d'après la doctrine de saint Thomas d'Aquin, par le R. P. Froget, des Frères prêcheurs. In-8° raisin.

Traité de la vie intérieure, par le R. P. Meynard, des Fr. Prêcheurs. Deux vol. in-12. 2e édition.

Saint-Amand (Cher). — Imp. BUSSIÈRE Frères.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

5065

248
V35

Vincentius Ferrerius, S
AUTHOR

Opuscula Ascetica S.
TITLE Vincentii Ferrerii

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
		MAR 2